# ANGELO POLIZIANO

## ILIADIS HOMERICE LIBRI QUATTUOR (3151 vers)

### LIBER I

LAURENTIO MEDICI A. P. SALUTEM

IL1_01

O cui Tyrrheni Florentia signa leonis
Syllanamque urbem et sancti decreta senatus
commisere dei, Laurenti maxime gentis
Maeoniae, serpunt geminae cui tempora circum
Aoniae laurus ; nam seu tibi munera Martis
sint animo, effusis ageres sublimis habenis
cornipedem toto cedentes aequore turmas
impellens, meminit simulacra ingentia pugnae
area magna Crucis, cum te, sublime volantem,
fundentemque equites, et magno robore duras
miscentem pugnas, clypeos galeasque ruentem,
elato spectabat ovans Florentia vultu ;
seu numeros Phoebi modulataque carmina mavis
vocali junxisse lyrae, plectroque sonantes
impellis nervos, auritas ducere quercus
cantando rabidasque potes mulcere leaenas ;
nuper ego Argolicis sumpsi de fontibus haustus,
nuper et inlatum divini carmen Homeri
vertere tentavi fidibusque aptare Latinis.
Sed quia Romuleo cantavit pectine primum
Smyrnaei nati sublimi carmine librum
Carolus Aonii celeberrimus incola fontis,
proximus en, nostro qui contigit ore sonandus,
te petit, ac pavido scandit tua limina passu.
Quod si ipsum placido excipies mitissime vultu,
mox alii venient socii, qui Dardana bella
et Danaas referent acies : qua cuspide Martis
et Veneris pulchros audax perstrinxerit artus
Tydides ; quanto prostravit vulnere saxi
magnanimum Aeneam ; quo turbine maximus Ajax
ferrata clypeum transegerit Hectoris orno ;
quantus et irruerit fulgenti umbone coruscans,
cum Danais Phrygios defendit puppibus ignes ;

et quibus Aeaciden nequicquam flectere dictis
aggressi magno Telamone et Amyntore creti,
et vafer Aeolides, ingentia dona ferentes ;
utque idem noctu simul et Calydonius heros
Sithonio Rhesi thalamum sparsere cruore ;
ut ferus Actorides maculavit sanguine campos
ductoris Lycii, falsi sub imagine Achillis ;
mox etiam ut valido juvenem transverberat ictu
Priamides ; sed enim Thetidis pulcherrima proles
emicat extemplo, Vulcaniaque induit arma,
et crassum multo detardat funere Xanthum ;
Hectora mox caesum raptat sua moenia circum.
Haec et plura canent. Tu tantum lintea vati
dirige ; namque potes. Neque enim, te praeside, Phoebum
Thespiadumque choros non sacri numina Bacchi
sollicitare velim : solus tu carmina nobis
Ismarium possis afferre aequantia plectrum ;
te duce, vel priscis ausim certare poetis.
Quare age ; et Ausonios fundentem pectore cantus,
si vacat et menti contingunt ocia, vatem
respice Maeonium. Sed nos tu protege ab omni,
siquis adest, teneros qui carpat Zoilus annos.

IL1_02

Nox erat, et summo radiabant sidera caelo,
divorumque hominumque genus sopor altus habebat ;
cum pater ipse deum per noctem plurima volvens
Jupiter arcano versabat pectore curas,
qua pereant Danai et magnum venerentur Achillem.
Optima cui tandem sedit sententia cordi,
magnanimum ad regem fallacem mittere Somnum,
quem sic alloquitur paucis ac talia mandat :
"Vade, age, rumpe moras, divum placidissime somne,
Argivumque ducem, quem nunc fulgentia signis
castra tenent molli resolutum membra sopore,
alloquere, et celeres defer mea dicta per auras :
aeratas armari acies castrisque moveri
laetus in arma paret, bellumque in Pergama vertat ;
nunc etenim excindet Neptunia moenia victor.
Sic placitum Superis. Et jam tumor omnis et irae
concessere deum, cunctos Saturnia Juno
jam flexit ; Teucris incumbunt tristia fata."
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
imperio ; et nullos strepitus facientibus alis
per tenebras, intraque morae breve tempus, ad ipsum
Tantalidae accessit thalamum, pennasque resolvit,
induiturque senis Pylii faciemque coloremque
et verba et cultum, talique est voce locutus :
Atride, Inachiae gentis rex inclyte, dormis ?
Turpe duci totam somno consumere noctem,
cui sceptra in reges tribuit Saturnius, et qui

tot regna et tantas populorum tractat habenas.
Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, qui te caelo miseratur ab alto ;
ipse haec ferre jubet celeres mandata per auras :
aeratas armari acies castrisque moveri
laetus in arma para, bellumque in Pergama verte ;
nunc etenim excindes Neptunia moenia victor.
Sic placitum Superis. Et jam tumor omnis et irae
concessere deum, cunctos Saturnia Juno
jam flexit ; Teucris molitur tristia fata
Jupiter. Ergo imo sub pectore nostra reconde
jussa memor ; nec longa tuos oblivia sensus
corripiant, dulcis fugiet quam pectore somnus.
Sic fatus, paribus liquidum petit aethera pennis.
Ille autem curas animo versabat inanes ;
jamque urbem Priami bello superare cruento
fidebat, primaque illam prosternere luce :
nec norat quae sit sumni sententia patris
demens, et quantos dura inter bella dolores
Argivum populi excipient ac Dardana pubes.
Ut somno excitus, facies per somnia visa
funditur ante oculos. Is strato corpora tollens
protinus assurgit, tunicaque incingitur artus
interiore suos, tum magno involvit amictu.
Inde pedum nitidis circumdat vincula plantis,
et lateri atque humeris rutilum mox subligat ensem.
Passibus hinc rapidis, sceptro venerandus avito.
Ad Danaum classem contendit maximus heros.
Aurora interea magnum conscendit Olympum.
Caelicolum generi surgentis nuntia lucis.
Attonitus visis, jubet a praecone vocari
magnanimos Danaum proceres populumque potentem ;
longaevique senes Pylii ad tentoria regis
conveniunt primum, quos sic affatur Atrides :
"O socii comitesque, meae pars maxima curae,
per noctem obscuram Somnus Jove missus ab ipso,
Nestoream indutus faciem vocemque coloremque
et verba et cultum, celeres mandata per auras
detulit, haec ad me placido sermone locutus :
"Atride, Inachiae gentis rex inclyte, dormis ?
Turpi duci totam somno consumere noctem,
cui sceptra in reges tribuit Saturnius, et qui
tot regna et tantas populorum tractat habenas.
Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
regnator, qui te caelo miseratur ab alto.
Ipse haec ferre jubet celeres mandata per auras :
aeratas armari acies, portisque moveri
laetus in arma para, bellumque in Pergama verte ;
nunc etenim excindes Neptunia moenia victor.
Sic placitum Superis. Et jam tumor omnis et irae
concessere deum ; cunctos Saturnia Juno
jam flexit, tenebris incumbunt tristia fata."
Dixerat ; extemplo me nox sumnusque reliquit.
Nunc adeo, quae sit nostrae sententia menti,

expediam : primum rapidas advertere puppes
in patriam, turpique fuga dare terba jubebo ;
at vos in pugnam fugientes vertite Achivos,
o socii, et dulcem Martis revocate furorem."
Sic ait. At placido Neleius excipit ore :
"Hoc alius quisquam si fors vidisset Achivum,
o proceres, fictum vanum falsumque putarem.
Sed quia Tantalidae sunt a Jove somnia missa,
Eia age, armigeram pubem educamus in arma.
Talia dicta dedit senior ; primusque solutum
concilium egreditur properans : mox fortia bello
pectora succedunt reges. Tum cetera pubes
irruit ; et magno coeunt strepitante tumultu.
Quales, vere novo, vacui circum ostia saxi
cum gentes glomerantur apum, semperque recentes
fundunt se in numerum portis, instarque racemi
addensant per inane globos, et florea rura
pervolitant, illa huc pennas haec dirigit illuc ;
haud aliter puppes Danai et tentoria linquunt :
litora complentur ; stimulos coeuntibus addit
nuntia fama Jovis, populumque hortatur ovantem.
Pulveream glomerant nubem, calcataque mugit
terra viris ; coguntque novem magnum aere canoro
praecones populum : vix ingens curia turbam
explicat innumeram ; tunc facta silentia castris.
Surgit ab his sceptrum gestans Pelopeius heros,
sceptrum auro clavisque nitens, quod Mulciber ipse
struxerat atque Jovi, torquet qui sidera mundi,
tradidit ; ille autem vigilem qui occiderat Argum
esse dei voluit ; Pelopi Cyllenia proles
mox tribuit ; post quem insignis gestaverat Atreus ;
ille Thyestae, atra premitur dum morte, reliquit ;
contigit hinc magnum tractare Agamemnona regem.
Cui tunc innixus, vocem haec in verba resolvit :
"O socii, heroes Danai, quis munera Martis
corde sedent, tristi divum pater atque hominum rex
me fato implicuit ; quem nostro moenia bello
Dardanidum vertenda dare exscindendaque flammis
Pergama pollicitum, varia hinc sententia vertit :
nam postquam Argolico saturata est sanguine tellus,
ad patrias cogor remeare inglorius urbes.
Scilicet, alme Tonans, rerum cui summa potestas,
haec tibi sunt animo, quem propter fortia bello
oppida et antiquae pereunt cum moenibus urbes.
Dedecus heu longo numquam hoc abolebitur aevo,
hunc populum frustra tantosque ad Dardana bella
convenisse duces Danaum, fractosque labore
Laomedonteae nunc linquere moenia Trojae.
Nam si nostrorum coeant in foedera dextrae
atque Phrygum, et numero placeat comprendere cunctos,
Assaraci populum multa vincetis Achivi
belligerum turba. Sed enim mea coepta retardant
auxilia externis accita e moenibus urbi.
Jam novies Titan, obliquo limite currens

aeternos peragensque obitus, lustravit Olympum ;
et jam senta situ putridae sunt membra carinae,
carbasaque et veteres senio cecidere rudentes.
Quin etiam sponsae et dulcissima pignora nati
nos maesti expectant. Sed enim conamina pugnae
fracta jacent ; nostro rapidis victoria pennis
diffugit campo, et Rhoetea per agmina fertur.
Quare agite, o socii, curvo de litore celsas
ducamus naves, Graiaeque ad litora terrae
vertamus profugos tranquilla per aequora cursus."
Sic ait ; et cunctis extemplo incussit amorem
natalis patriae : turbam migrare videres
innumeram, et prono deferri ad litora passu.
Qualis ubi Icarios fluctus Eurusque Notusque
perturbant, imoque cient spumantia fundo
aequora, et insanas affligunt cautibus undas ;
aut ubi frugiferae genitabilis aura Favoni
incubuit segeti gravidasque invasit aristas,
declives nutant concusso vertice culmi ;
talis erat populi raptim fugientis imago.
Dat tellus gemitum, et nigra caligine caelum
volvitur, insurgit glomerato pulvere nubes.
Pro se quisque ruunt, exhortanturque vicissim
tardantes ; classemque manu contingere gaudent,
certatim annixi tranquillum pellere in aequor
limite purgato : ferit aurea sidera clamor.
Et certe hac patrios repetissent luce penates ;
sed Juno tali compellans voce Minervam,
effundensque imo tristes e pectore voces :
"Ergo sic fugient, inquit, Tritonia Pallas,
Argivi, turpi relegentes caerula cursu ?
Tyndaris heu Priamo atque invisis gloria Teucris
linquetur, misero quam propter funere turba
maxima Graiorum vitam exhalavit in armis ?
Verum age, nunc propere ad populum te confer Achivum,
et compesce fugam, verbisque averte furentes,
neve sinas celeres descendere in aequora pinus."
Haec ubi dicta dedit, graviter commota supremi
nata Jovis, summo virides e vertice Olympi
desilit in terras, tenditque ad Dorica castra.
Mox Ithacum saevo turbatum pectora motu
conspicit ; haud illi cura est contingere classem ;
quem placidis subito invadit Tritonia dictis :
"Dux Laertiade, solerti pectore Ulysses,
sic ergo in patriam fugitis charosque penates,
horrida converso relegentes caerula cursu ?
Tyndaris heu Priamo atque invisis gloria Teucris
linquetur, misero quam propter funere turba
maxima Graiorum vitam exhalavit in armis ?
Verum age, nunc propere ad populum te confer Achivum,
et compesce fugam, verbisque averte furentes,
neve sinas celeres descendere in aequora pinus."
Sic ait. Extemplo sacrae praecepta Minervae
exsequitur juvenis, solvensque a pectore laenam

deturbat terrae ; ast Ithacae telluris alumnus
extulit Eurybates tubicen. Volat acer Ulysses
admisso per plana gradu, atque Agamemnone coram
assistit ; sceptrumque olim quod gesserat Atreus
continuo excipiens, Danaum ad navalia fertur.
Tum siquem bello egregium regemve ducemve
offendit, tali cohibet sermone ruentem :
"Turpe est degeneri sic te pallere timore ;
siste fugam, siste, et populi compesce furores.
Magnanimi Atridae quae sit sententia, nescis :
tentantur, mox errantes plectentur Achivi.
Non cuncti arcano fuerit quae verba locutus
concilio scimus : metuo ne concitus ira
supplicio affligat Danaos ; nam vivida regis
est animo virtus, amat et Saturnius illum.
Sin autem patulo clamantem offendat hiatu
obscura de plebe virum, tum verbere duri
illidens sceptri et verbis compescit inertem :
siste fugam, miser ; haud aliis parere recusa
qui virtute micant ; nullo tu robore praestat,
consiliumque tuum non pugna aut curia poscit.
Non hic Argolici certe regnabimus omnes :
non plures domini expediunt ; rex omnibus unus,
et princeps unus, tribuit cui jura supremus
Jupiter et sceptrum ut populi moderetur habenas."
Ordine sic certo populum cohibebat Ulysses.
Illi iterum nigram classem et tentoria linquunt,
atque in concilium coeunt ; it calmor ad auras :
qualis ubi aequorei franguntur litore fluctus,
fit sonus, et duris luctantur cautibus undae.
Consedere alii subito, sedesque replerunt.
Verum Thersites clamans ingentia coepta
turbabat solus, fuerant cui turpia semper
verba animo, atque ausus reges incessere dictis
saepe fuit multis ; tollebant undique risum
Argolici, quando in medium consulta ferebat.
Non illo ad Trojam venit deformior alter.
Claudus erat, transversa tuens, ad pectora curvos
compressosque humeros, rara lanugine acutum
aspersus caput : ante alios, invisus Achilli
atque Ithaco ; nam saepe illos sermone protervo
carpserat insanus : tunc et convicia voce
diffundens gracili, insignem vexabat Atriden.
Verum animo ardentes indignabantur Achivi.
Is vocem extollens ventoso haec protulit ore :
"Quidnam iterum quereris, magnorum ductor Achivum ?
Quid poscis ? Multo radiant tua tecta metallo,
innumeraeque adsunt forma praestante puellae.
Quas tibi nos dedimus cum magnas vertimus urbes.
Nunc etiamne aurum expectas quod perferet hostis
Iliacus, captiva sibi cum vincla resolvet,
cujus ego aut alii impedient mox colla catenis ?
An famulam vultu insignem, mollissima tecum
gaudia quae jungat ? Turpe est suprema tenentem

sceptra manu, populum exemplo corrumpere tali.
O molles Graiae, vero nec nomine Grai,
tendamus vela in patriam ; solusque relictus
hic Trojam obsideat, magnoque fruatur honore :
ut si quem bello praestamus noverit usum,
qui nunc se longe meliorem affecit Achillem
dedecore, et praemium pugnae mox abstulit illi.
Sed nimium tardam Aeacides quia surgit in iram,
non meritas tanto exegit pro crimine poenas."
Sic ait, in magnum fundens convicia regem,
Thersites. Bonus extemplo consurgit Ulysses,
atque illum torvo defigens lumine fatur :
"Thersita, absistas reges incessere dictis,
dulcisonas licet effundas e pectore voces.
Nan te non alius ventosa per aequora Trojam
deterior petiit geminos comitatus Atridas.
Non igitur reges petulanti scindere lingua
te decet, et populo turpes suadere recursus.
Qualis erit nobis reditus mox litora terrae
ad patriae, cuncti nempe ignoramus Achivi,
objicis Argolico pro quo nunc crimina regi,
et morsu laceras quem Graecia cuncta veretur.
Sed mea nunc imo sub pectore dicta reconde :
si te bacchantem atque iterum vesana furentem
ut nuper cernam, caput hoc cervice cruenta
ex humeris cedat nostris, nec deinde vocetur
Telemachi genitor fato jam functus Ulysses ;
ni te comprendens, charas e corpore vestes
et laenam et tunicam eripiam et quae turpia celant
membra tibi, et flentem Danaum ad tentoria pellam,
verberaque incutiam lacerum scindentia corpus."
Sic fatus, sceptro assurgens percussit eburno
qua collum attingunt humeri : tunc ille reflexus
ingemit, et largis humectat fletibus ora,
exoriturque humeris nigranti sanguine livor
perfusus. Sed enim ingenti maerore resedit
Thersites, manibus lacrimantia lumina siccans.
Tum quamquam Argivos jam maeror ceperat omnes,
ingentem effusi tollebant undique risum,
atque aliquis tali invasit sermone propinquum :
"Proh quantum Argivis Ithacus jam praestitit usum !
Consul<u>it Danais, pugnaeque incussit amorem.
Verum hoc in primis gessit, nam frena procaci
injecit linguae, et mordacia verba repressit
Thersitae ; neque enim posthac fera crimina magnis
regibus objiciet, conviciaque improba fundet."
Dixerat haec. Sed enim Trojae expugnator Ulysses
surgit sceptra tenens. Aderat Tritonia Pallas
praeconis faciem induta, et silentia jussit,
ut cuncti exciperent Ithaci consulta superbi.
Tunc ille incipiens facundo haec protulit ore :
"Aspicis, Atrida, quae sit sententia Graium ?
Mortales inter cunctos te reddere certant
infamem ; neque enim dissolvere pacta verentur

nec peragunt promissa tibi, ne litora terrae
invisant patriae, ruerint nisi moenia Trojae.
Utque solent pueri infantes viduaeque puellae,
inter se repetunt questus, Graiosque penates
exposcunt. Certe durum tolerare laborem
difficile est ; multi thalamo discedere amatae
conjugis haud possunt, unoque relinquere mense :
nos procul a patria jam nonum exegimus annum.
Nec mirum longi taedet si forte laboris ;
sed mansisse diu turpe est, vacuumque redire.
Ferte, viri, et duros animo tolerate labores,
auguris ut nostri Calchantis fata, queamus
scire, ratos ne habeant an vanos pectoris orsus :
namque tenent omnes portentum mente repostum,
qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis
quae Priamo cladem et Trojae pestemque ferebant,
nos circum latices gelidos, fumantibus aris,
aurigeris divum placantes numina tauris,
sub platano umbrifera, fons lucidus unde fluebat,
vidimus immanem tergoque rubente draconem
terribili Jovis ut lapsu penetrarat ab ara.
Quin platani in ramo foliorum tegmine septos
corripuit pullos : quos cum consumeret octo,
nona super rabido genitrix serpente volabat,
cui ferus immani laniavit viscera morsu.
Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremit.
Qui luci ediderat, genitor Saturnius, idem
abdidit et duro formavit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum
vidimus in mediis divum versarier aris."
Tum Calchas haec est fidenti voce locutus :
"Quid nam torpentes subito obstupuistis, Achivi ?
Haec nobis portenta deum dedit ipse creator
tarda et sera, ait, sed fama ac laude perenni.
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis,
tot nos ad Trojam belli exantlabimus annos ;
quae decimo cadet, et poena satiabit Achivos.
Edidit haec Calchas ; quae jam matura videtis.
Quare agite, o Danai, sacrae prope moenia Trojae
sistamus, dum fatalem expugnabimus urbem."
Dixerat haec. Magno Danai clamore fremebant,
tollentes Ithaci sermonem ad sidera magni ;
inque cavis ratibus vocis resonabat imago.
Protinus haec Nestor sapienti est voce locutus :
"Proh di ! quam similes pueris e pectore voces
fudistis, quibus haud curae sunt munera Martis !
Quem finem pacta accipient, jurataque vobis
numina ? Num flammis recident consulta virorum,
libatumque merum, commissaque dextera dextrae
omnibus ? Heu vanis contendimus undique verbis.
Et quamquam multos bellando exegimus annos,
nescimus tanto finem invenisse labori.
Atrida, semper tibi sit suprema potestas

in Danaum populos, dum fortia proelia miscent.
Hos sine dispereant paucos, qui vana seorsum
consilia invadunt (neque enim timidissima vota
explebunt), donec patrias tendemus ad urbes,
atque exacta Jovis fuerint promissa supremi.
Nam quando explicitis sulcabant aequora velis
Argivi, et Priamo cladem Trojaeque ferebant,
lucenti medium disrupit fulgure caelum
Jupiter, et dextro concussit pectora signo.
Nemo igitur patriae dulcissima litora terrae
flagitet, iliacis Veneris dum gaudia jungat
conjugibus, pulchramque Paris rapuisse Lacaenam
jam doleat, fumentque Argivis Pergama flammis.
Quod si quis, reditum cupiens, attingere classem
audeat et rapidis committere lintea ventis,
Argivum ante oculos vitam exhalabit in auras.
Tu vero, Argolicae rector fidissime gentis,
consule nunc populo, atque aliorum dicta facesse ;
nec spernenda quidem fuerint quae pectore promam :
in variasque tribus varias et cernere gentes
Argolicos propera, queat ut sibi quaeque favere.
Namque hoc si facies, dabitur tibi visere tandem
frigidus astiterit cui circum pectora pallor,
et qui Dardanio perfundet sanguine campos.
Cognosces si fata deum tua coepta retardant,
Argolicaeve manus bellique ignara juventus."
Dixerat. Haec contra placido rex edidit ore :
"Certe omnes superas facundo pectore, Nestor.
Alme Tonans, utinam, Pallas atque augur Apollo,
nunc mihi contingat bis quinque assistere tanta
praestantes virtute viros ! Jam moenia Phoebi
diruta, jam Priami sublimia regna jacerent.
Sed mea terribili perfudit corda dolore
Jupiter, impellens rapidis incessere dictis
Aeaciden caramque illi extorquere puellam ;
nam si cunctorum vires in bella coirent.
Jamdudum Inachiae popularent Pergama flammae.
Sed nunc ite, viri, dapibusque accumbite laetis ;
promite mox clypeos, et cote incendite ferrum,
cornipedesque epulis largis satiate fugaces,
fortia tum celeres aptate in proelia currus.
Nam dum se occiduo perfuderit aequore Titan,
dum tenebrae insurgent, nos tristia bella geremus ;
manabit cunctis ardenti pectore sudor,
omnibus hasta dabit magnum concussa laborem,
in media lassi fundabunt caede jugales.
Quod si aliquem aspiciam crudeli absistere pugna
sponte sua ad naves residentem, non satis illi
mox erit effugisse canes avidasque volucres."
Talibus Atrides. Cuncti simul ore fremebant
Argolici assensu magno ; velut aequoris undas
turbine quum rauco incumbens diverberat auster,
et scopulo infligit qui ventos usque sonantes
qui pelagi fluctus et nigros excipit imbres.

Dispersi ad naves tendunt : jam castra sereno
igne micant ; epulis accumbit Graia juventus.
Et varios orat divos, ut vulnera belli
effugere et mortem liceat vitare cruentam.
Ipse Jovi taurum mactat Pelopeius heros,
qui nullum eximius lustro conjunxerat annum.
Magnanimos vocat inde senes, et splendida Graium
corpora : jam Nestor primus, jam proximus illi
Idomeneus adest, Ajax succedit uterque,
Tydidesque ferox armis, et divus Ulisses ;
tum minor extemplo bello subit acer Atrides,
vidit ut ingentes fratrem versare labores.
Continuoque molam tollunt, stant sacraque circum,
effuditque preces imo de pectore Atrides :
"Jupiter omnipotens, magnum qui volvis Olympum,
non prius Hesperium declinet Phoebus in aequor,
quam manibus Danaum Priami fulgentia tecta
procumbant, nostraeque exurant ostia flammae.
Et meus Hectoreo jam sanguine ferveat ensis,
quem circum pereat sociorum maxima turba
et terram praeceps moribundo vertice pulset."
Talibus oranti surdas obstruxerat aures
Jupiter, et Danais tristissima fata parabat.
At postquam sparsere molam Superosque rogarunt,
conversum jugulant taurum : mox viscera nudant,
crura in frusta secant laeto nidore tegentes,
tergaque cruda super ponunt atque ignibus urunt :
exta alii retinent, veribusque trementia figunt ;
crura vorant flammae, Danai lustralibus extis
vescuntur, reliquum caedunt et cuspide figunt :
subjiciunt alii prunas, dehinc tosta reducunt :
et tandem accumbunt epulis mensaque fruuntur.
Postquam exempta fames et amor compressus edendi,
talia dicta dedit sapienti pectore Nestor :
"Rex hominum Atrida, jam finem imponere verbis
tempus adest ; rumpenda mora, invadendaque pugna.
Ergo age, continuo populum ad tentoria cogant
praecones, celeri cursu nos castra petamus,
aeratasque acies Graium educamus in arma."
Dixerat. Extemplo surgens parebat Atrides.
Tum jussi incipiunt sonitu succendere dulci
praecones populum, Danaosque in proelia cogunt.
Magnanimum Atriden cingebant undique reges,
Argivasque acies in fortia bella parabant.
At vero in mediis quassabat glauca Minerva
terrificam expertem leti immunemque senectae
Aegida, quam circum fulvo spectabilis auro
tortilibus spiris pendebat fimbria centum,
quaeque boves pretio referebat singula centum :
hac illa irradians acies lustrabat Achivum,
omnibus incutiens duri Mavortis amorem.
Inde animum fessis validasque in proelia vires
subjicit, et subito pugnas miscere cruentas
dulce putant, avido stat cunctis pectore bellum.

Utque olim aerei sublimi in vertice montis
cum virides ardent silvae, procul inde micantes
apparent flammae radiosque ad sidera tollunt ;
sic Danai splendent armis caelumque serenant.
Utque gruum gentes celerum, seu plurimus anser.
Carmine seu placido qui mulcent flumina cycni,
Asia cum laeti pennis circum arva volantes
dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
nunc huc nunc illuc placido clamore feruntur ;
sic horum innumerum vulgus tentoria linquens
castra petit, Phrygii complentur prata Scamandri.
Extemplo resonat pedibus conterrita tellus
cornipedum ; steterant campis jamque agmina Graium
millia, quot foliis quot floribus incipit annus.
Ac veluti innumerae pleno cum lactis ovili
muscarum gentes incumbunt vere sereno,
et volitant mulctras ingenti murmure circum ;
tot Danaum stabant acies campumque tenebant,
ardentes animis pugnas miscere cruentas.
Utque solent capras facili secernere virga
pastores, cum se laeta inter pabula miscent,
sic illos vario distinguunt agmine reges
atque in bella cient ; quos inter stabat Atrides
os oculosque Jovi similis, fulgentia Marti
arma, neque insigni Neptuno pectore dispar.
Ceu quondam praestans armenti gloria taurus
conspicitur, toto cui surgunt cornua gyro,
sic illa Atridae Saturnius ipse decorem
luce dedit, Danaos ut forma vinceret omnes.
Nunc mihi, Olympiades Musae, aspirate canenti :
estis namque deae, vos omnia mente tenetis ;
ad nos vix tenuis famae perlabitur aura,
nec Danaum scimus sublimia nomina regum.
Verum ego nec numero memorem nec nomine cunctos,
non si forte decem linguae et totidem ora sonarent,
si vox indomita atque animos mihi ferreus esset,
ni vos, caelicolae, proles Jovis inclyta, Musae,
pandatis, quicumque gradus ad Pergama vertit.
Jamque duces referam et rapidis data lintea ventis.
Ibat in arma ferox Boeotis primus ab oris
Peneleus, comes acer erat tum Leitus illi,
Archesilasque et Prothoenor mox Cloniusque ;
quique Hyriem populus constratamque Aulida saxis,
qui Schoenum et Scolon tenuit, magnamque Eteonam,
Thespias, et Gream, Mycalessumque feracem ;
Hesium quicumque habuit, quique Harma et Erythras,
quique Eleona almam, quique Hylen, et Peteona,
Ocaleam, Medeona insignem moenibus urbem,
Copas, Eutresimque, et Thisbes grata columbis
tecta ; Coronea, atque ingentia prata Haliarti,
quos misit ; qui Glissantam, fortemque Plataeam,
Thebanaeque urbis qui moenia celsa reliquit ;
quos dedit Onchestus Neptuni splendida luco ;
vitiferam quicumque Arnem, quicumque Mideam,

qui Nisam coluit sacram, atque Anthedona summam :
quinquaginta omnes solverunt litore naves,
singula bis denos juvenes centumque ferebat.
Inde sequebatur quos Orchomenus Minyeus
Aspledonque dedit pulchro insudare labori :
illos Ascalaphus et Ialmenus inclyta Martis
ducebat soboles, quos virgo in luminis oras
edidit Astyoche egregio de sanguine nata
Actoris Asinae ; celsi prope culmina tecti,
mixta Deo mulier geminam dedit aurea prolem :
hi triginta altum sulcabant puppibus aequor.
Phocenses duxit Schediusque et Epistrophus ingens,
Naubolidae Iphiti magno de semine creti ;
qui Cyparissam urbem, duram quicumque colebat
Pythona, et Crissam, qui Daulida, vel Panopea,
quique Anemoriam, quicumque Hyampolin altam,
qui ripas, Cephise, tuas, pulchramque Lilaeam :
et bis vicenis scindebant aequora proris.
Hi prope Boeotos a laeva, pectora duro
cingebant ferro viresque in bella parabant.
Tum Locros Ajax in martem duxit Oileus,
non tamen assurgens quantus Telamonius Ajax,
sed minor : huic lini deductus stamine thorax
munibat pectus, sed erat metuendus in hasta
Hellenas inter proceres atque inter Achivos :
qui Cinon coluere, Opoentaque, Calliarumque,
qui Bessam et Scarphen tenuit placidasque Augeas,
Tarphenque et Thronium gelidi laticesque Boagri :
hic bis vicenas oneravit milite pinus
Locrorum, Euboeae quos miserat obvia tellus.
Euboici magno linquebant turbine Abantis
Chalcidaque, Eretriamque, et vitiferam Histiaeam,
Cerinthonque mari vicinam, vertice montis
surgentem Dionque, Styramque, altamque Caryston :
in freta quos duxit bello praestans Elephenor
Chalcodontiades, magnorum ductor Abantum :
illum cingebat cristata casside fulgor,
ardentesque animis duro contendere Marte,
et cupidi armatos ferro prosternere Troas :
hic bis vicenas implevit remige puppes.
Inde sequebatur quicumque habitabat Athenas
fortis Erechthei populum, quem maxima Pallas
nutrivit quondam et vitalis terra creavit
inque suo posuit juvenem Tritonia templo.
Hic ubi Cecropidae divam redeuntibus annis
agnorum caede et taurino sanguine placant :
Filius hos Pelei clara de stirpe Menestheus
egit in arma ferox, quo non praestantior alter
belligeros ornabat equos aciesque virorum ;
cui tamen annoso certabat pectore Nestor :
isque rates decies quinas in bella trahebat.
Quem prope, bis senis trabibus Salaminius Ajax
diffidens pontum tortas urtgebat in undas.
Tum quoscumque Argos dederat, Tirynthia quisque

moenia deseruit miles ; quos miserat ingens
Asine, Hermionesque sinus, praeclaraque Troezen ;
tum quos Eione, laetusque Epidaurus Iaccho
fundebat ; quique Aeginam et Maseta reliquit ;
hos bello instruxit dextra clarus Diomedes,
et Sthenelus bello insignis Capaneia proles,
Euryalusque ferox divis caelestibus aequus
quem Talaonides Megisteus edidit ingens :
verum omnes duxit Tydei pulcherrima proles,
octoginta levi committens carbasa vento.
Quique Myceneae linquebant moenia terrae.
et quos in Martem ditissima tecta Corinthi
misere, et cela turritae mole Cleonae ;
quisquis et Orneas Araethyreamque colebat,
et Sicyona olim imperio quam pressit Adrastus ;
quos Hyperesce Gonoessaque miserat alta ;
Pellenem quicumque viri, quique Aegion urbem,
Aegialumque omnem, atque Helices lata arva tenebant ;
hos ratibus centum protraxit in arma Agamemnon,
cingebatque ducem bello spectata juventus :
ipse autem rutilo munitos pectora ferro
fulgebat Danaos inter fortissimus heros,
belligeras flammans ruitura in Pergama turmas.
Deseruit validam post haec Lacedaemona miles,
Pharimque, et Spartam, Messen gratamque columbis ;
Bryseis cessit populis, laetisque Augeis ;
litoreumque Helos et duras linquebat Amyclas ;
tum venit quoscumque Laa et quos Oetylus egit :
hos Menelaus ovans in martem duxit Atrides,
et bis trecenis praetexit aequora proris,
incendens validas Trojana in tecta cohortes ;
dedecus ipse Helenes forti depellere dextra
ardebat, maestosque armis abolere dolores.
Mox ibant quoscumque Pylosque Arenaque misit ;
qui Thyron Alpheo vicinum, et montibus Aepy
ingestum, quisquis Cyparisseenta colebat ;
quos Helos et Pteleon, quos fertilis Amphigenia
in Martem fudit, quos Dorion (hic ubi Musis
obvius, Oechaliam atque Euryti tecta relinquens,
Threicius Thamyras spoliatus carmine cessit ;
namque Jovis prolem stulta dum voce lacessit
demens, et cantu vocat in certamina divas,
arte miser dulci caruit, citharaeque sonantes
tendere suffosso est oblitus lumine chordas) :
hos agitans populos solerti pectore Nestor
cum ter tricenis ratibus surgebat in aequor.
Tum ruit Arcadiam et Cyllenem vomere curvo
qui domuit celsam, tumuli qua culmina surgunt
Aepytii ingentes bello qui nutrit alumnos ;
linquebant alii Pheneon ; pecorosa vacabat
Orchomenus, Rhipe, et Stratie, ventosaque Enispe ;
Mantineae validos misit Tegeaeque colonos ;
multos Parrhasia et Stymphalus in arma parabant :
hos satus Ancaeo duxit praestans Agapenor,

et ter vicenis pulsavit caerula proris,
Arcadiaeque egit populos ad bella paratos.
His dedit Atrides puppes, ut scindere possent
terga maris ; neque enim undarum commercia norunt.
Tum qui Buprasion quique Elidos arva tenebant,
Myrsinus et quantum Hyrmine et Aletion ingens
Oleniusque lapis spatioso limite cingit ;
quatuor hos egere duces : et quisque sonantem
bis quinis trabibus subigebat Nerea princeps,
exhortans avidos casura in Pergama Epeos :
namque hos Amphimachus Cteati fortissima proles,
illos Actoridae Euryti Thalpius ingens
armabat soboles, Amaryncidesque Diores,
inde Polyxinus surgebat Agasthene cretus
qui placido Augeas sceptro regnisque premebat.
Tum qui Dulichium, et sacras habitabat Echinas,
quae ponto elatae respondent Elidos arvis ;
hosque Meges duxit, fuerant cui proelia cordi,
quem genuit Phileus : is quondam, percitus ira,
Dulichium petiit, genitoris tecta relinquens :
hic quadragenis subigebat navibus aequor.
Inde Cephallenas bonus incendebat Ulysses ;
quos Ithace misit, quos et frondosa tenebat
Neritos ; incoluit quicumque Aegilipa duram,
quique Zacynthum altam ; quos et Crocylea, Samosque,
et quos Epirus dabat, et contraria tellus :
hos bello adjunxit solerti pectore Ulysses,
bis senis vacuo luctans in marmore proris.
Aetolos dedit inde Thoas Andraemone cretus ;
qui Pleurona habuit, quique Olenon, atque Pylenen,
Chalcidaque, Anchialonque, et saxosam Calydona ;
magnanimus vita quoniam decesserat Oeneus
cum sobole ingenti, Meleager et ipse jacebat :
huic igitur populus rerum concessit habenas,
qui sexaginta complevit milite pinus.
Idomeneus acer Cretas in bella ciebat ;
quos Cnossos dedit, et Gortynae moenia celsae,
Miletos, Lictosque ingens, atque arva Lycasti ;
qui Phaeston Rhytionque habuit ; tandemque ruebat
centena insignis Crete quos protulit urbe :
Idomeneus ovans forti metuendus in hasta,
Merionesque egit magno par robore Marti ;
atque octogenas rapuere in bella carinas.
Tlepolemus rapidis torquebat Nerea tonsis,
commisitque novem Rhodiorum carbasa ponto ;
exhausitque urbes quas sustinet insula ternas,
Lindon Ielisonque argillosamque Camirum ;
sed rutila ante alios rex ipse micabat in hasta,
quem forti Alcidae pulchra edidit Astyochea.
Illam Ephyrae quondam placidis extorsit ab oris
postquam expugnavit validas Tirynthius urbes.
Sed jam Tlepolemi surgens adoleverat aetas,
confectum senio juvenis cum forte Lycimnum
maternum prostravit avum ; navesque paravit

continuo, et populum ingentem per caerula traxit,
namque alios timuit natos durique nepotes
Herculis : at postquam innumeros superare labores
contigit, ad Rhodiae pervenit littora terrae ;
et subito ternas opulentis moenibus urbes.
Implerunt, coluitque pater Saturnius illos,
ante omnes augens populos, opibusque beavit.
Nireus ex Syma dedit hinc tria carbasa ventis,
Nireus Aglaiae et Charopi pulcherrima proles,
Nireus quo Danaos inter formosior alter
non fuit, excepto Pelidae corpore Achillis ;
sed rarum imbellis populum raptabat in arma.
Tum qui Nisyrum incoluit, Crapathumque, Thasumque,
Eurypylique urbem Coon, madidasque Calydnas,
his animum incendit Phidippus et Antiphus acer ;
Thessalus hos genuit pulchro satus Hectore ductor :
hi triginta altum fundebant vela per aequor.
Hinc radiabat ovans, Argos quicumque pelasgum,
quique Alon, atque Alopem, et celsam Trachina colebat,
quos Phthia et nitidis dedit Hellas culta puellis ;
Myrmidonum Hellenumque acies et Achiva juventus
haec erat : hic magno populus comes ibat Achilli ;
is decies quinis ratibus praetexerat undas.
Sed nunc armatas non ducit in arma cohortes
inclytus Aeacides ; magna namque aestuat ira,
et dolet absentis fervore Briseidos ardens :
quam rapuit postquam Lyrnessia moenia belo
et Thebam prostravit humi, fortemque Mycenem
atque illi comitem transfixit Epistrophon hasta,
Lepidae Eueni claro de sanguine natos.
Sed cito magnanimos Danaum consurget in hostes.
Tum quos armabat Phylace, quos florea misit
Pyrrhasus, atque ovium quos mater fertilis Iton,
et qui gramineam Pteleum atque Antrona colebat,
bellicus hos rapuit dux Protesilaus in arma,
vitales carpens auras ; sed morte jacebat
tum niger obscura, miseramque reliquerat altos
uxorem questus rumpentem atque unguibus ora
foedantem indignis, imperfectosque penates :
namque illum, ante omnes Danaos, fortissimus Hector
saltantem navi ferro transfixit acuto.
Non tamen hae valido parebant principe turmae.
Namque ferox illas agitabat in arma Podarces
Phylacidae Iphicli soboles clarissima bello,
et frater magni fuerat qui Protesilai
surgentique aetate minor : sed fortior ingens
Protesilaus erat ; tamen hoc se rege tuentur
Aemoniae turbae, nec jam ductoris egebant.
Is quadraginta diffudit vela per aequor.
Mox aderat quicumque Pheras, Boebeida circum,
qui Boebem, et Glaphyras, pulchramque habitabat Iolcon :
hos undena levi committens lintea vento
Admeti Eumelus soboles in proelia traxit ;
filia quem Peliae, nitido celeberrima vultu,

edidit Alcestis dias in luminis oras.
Tum quos Thaumaciae, quos et Methona ciebat,
quos Meliboea dedit, quosque aspera misit Olizon ;
his doctus celeres arcu intendisse sagittas
castra Philoctetes suasit, qui navibus undas
versabat septem, juvenes at singula habebat
quinquaginta gravi miscentes bella pharetra.
Illum autem duros tolerantem corde dolores
nunc bona Lemnos habet : gelidi nam vulnere laesum
serpentis juvenem populus dimisit Achivum :
sed cito magnanimum revocabunt agmina regem.
Non tamen hae valido carebant principe turmae,
namque Medon nothus insigni generatus Oileo
aptabat Marti, peperit quem candida Rhene.
Quos dedit hinc Tricce, quosque aspera misit Ithome,
venit et Eurythi Oechaliam quicumque reliquit :
hos medici armarunt Podalirius atque Machaon,
quos genuit Phoebo nymphaque Coronide natus.
Tum subiere viri quos fons Hyperea tenebat,
et quos Orchomenus, Titani quos culmina celsi,
qui rura Asterii valido suspendit aratro :
hos bonus Eurypylus, praeclaro Euenore cretus,
cum bis vicenis trabibus raptavit in arma.
Mox qui Gyrtonem, Argissamque, Orthemque colebat,
quique reliquerunt Elonam et Olossona canam,
his animum incendit bellum cupiens Polyoetes,
Pirithoi soboles quem Jupiter ipse creavit :
verum hunc Pirithoo pulchra edidit Hippodamia,
tempore quo rapidos devicit Marte bimembres
et penes Aethycios Pyliis detrusit ab arvis.
Illi autem socius fortis Geleonteus ibat,
Caenidae magni proles divina Coroni.
Hi quadraginta versarunt navibus undas.
Et bis undenas duxit per caerula puppes
ex Cypho Guneus, Enienes atque Peraebos
in Martem exagitans, qui Dodonamque colebant,
et quorum Imertus lambit Titaresius arva ;
qui nitidas mittit Peneo argenteus undas
nec se confundit fluvio, sed vertice summo
innatat, et liquidum currens imitatur olivum ;
nam caput a Stygiae protraxit fonte paludis.
Magnetas duxit Prothous Tenthredone cretus,
Peneum quicumque bibit, qui Pelion altis
frondibus umbrosum duro versabat aratro :
et quadragenis sulcavit caerula proris.
Hi Danaum reges Trojam petiere ducesque.
Sed virtute prior qui fulsit, Musa, referre
incipe tu nobis et equos memorare fugaces.
Cornipedes inter longe venere supremae
quas Pheretiades Eumelus agebat in arma,
alitibus curso similes, paribusque tegentes
ardua colla jubis aequali aetate decoras,
et plano insignes tergo ; quas flavus Apollo
Pieriis olim pastor nutrivit in arvis ;

ambas femino sexu atque in bella paratas.
Sed Danaum longe primus Telamonius Ajax
emicuit, rapida Aeacides dum fluctuat ira.
Ille etenim cunctos valido superabat Achivos
robore, et insignes rapiebat in arma jugales :
sed nunc, Atridae iratus, tentoria circum
stat ferus. Undisono populus se litore duris
exercet jaculis, et condit in aethera discos,
spiculaque intorquet prope currus ; inde volucres
cornipedes loton carpunt apiumque palustre,
et cohibent celeres tentoria magna quadrigas :
illi in bella ducem cupiunt, perque agmina Graium
nunc huc nunc illuc tendunt, nec proelia miscent.
Ast alii properant, veluti si terra micanti
igne ruat, pulsuque pedum sonat incita tellus.
Ut cum terribili ferit altus fulmine celsam
Jupiter Inarimem, quae lecto est clara Typhoei,
sic pedibus Danaum tellus concussa sonabat ;
et rapido campi secuerunt aequora passu.
Tum volucrem coelo misit Saturnius Irim
Iliacum ad populum, maestissima dicta ferentem.
Illi autem cuncti Priami intra limina regis
constiterant, atque in medium consulta ferebant.
Hic Iris placido sermonem protulit ore ;
Effinxitque sonum Priamei diva Politae,
qui stabat pedibus fidens speculator in alto
etnunc Ausietae tumulo, dum castra relinquant
Argolici aeratasque acies in Pergama cogant.
Hujus habens vocem, roseo sic ore locuta est :
"Usque tibi, senior, verborum est copia menti
ut cum pace vires ; sed nunc ingentia surgunt
bella tibi : certe rapidi certamina Martis
multa ego jam petii, nec tanti visere turmas
contigerat populi ; longo namque ordine campis,
arboreas frondes numerumque imitantur arenae.
Jamque petent bello surgentia moenia Trojae.
Tu vero ante alios, Hector, mea perfice dicta.
Adsunt auxilia excelsis in moenibus urbis
plurima, sed cunctis diversa est lingua maniplis :
quisque suos igitur populos convertat in arma,
et reges aptent socias in bella cohortes."
Dixerat. Ille deae surgens tum jussa facessit ;
concilium solvit, populumque impellit ad arma.
Panduntur portae ; ruit inflammata juventus
effera Teucrorum, magno surgente tumultu.
Est in conspectu, qua latum maxima Troja
explicuit campum, celsas porrecta sub auras
alta columna caput ; Batieam nomine dicunt
mortales, superi velocis busta Myrinae :
hic sese auxilia et pubes Trojana diremit.
Teucrorumque acies, cristata casside tectus,
Priamides Hector duxit : radiantia cunctis
tegmina cingebant humeros hastaeque micabant.
Verum Dardanios Anchisae maxima proles

Aeneas acuit bello, quem candida luci
edidit alma Venus nemorosae in vallibus Idae :
atque aderant illi comites Antenore nati
Archilochusque Acamasque, ardentis fulmina belli.
Inde subibat ovans laetam quicumque Zeleam
incoluit populus celsae in radicibus Idae,
Aesepique bibit latices : hos traxit in arma
egregia fulgens virtute, Lycaone cretus,
Pandarus ; huic arcum donavit Cynthius ipse.
Quique Adresteam populumque colebat Apaesi,
quos Pityea dedit, Tereaeque ardua celsae
culmina, duxerunt Adrastus et Amphius illos ;
lineus huic thorax armatum pectus obibat :
atque utrumque Merops genuit Percosius, alto
maximus augurio, nec prolem in bella sinebat
tendere ; sed nati genitoris cedere dictis
contempsere sui, miserandaque fata petebant.
Tum quos Percote effudit, quos moenia Practi,
Sestos, Abydeique sinus, quos misit Arisbe ;
hos duro Hyrtacides bello dedit Asius ingens,
Asius Hyrtacides, cujus nutrivit Arisbe
cornipedes validos ad flumina Selleentis.
Egit et Hippothous fortes in bella Pelasgos,
quos habuit Larissa ferax ; hos Marte Pylaeus
Hippothousque valens in proelia dura coegit,
Teutamides claro genuit quos sanguine Lethus.
Threicios Acamas et Pirous egit in hostes,
quos Hellespontus rapida compescuit unda.
Hinc Ciconum populos Euphemus in arma ciebat,
quem ceades tulerat vitae Troezenus in oras.
Inde pharetratos Pyraechmes Paeonas egit,
quos dederat nitidis Amydonius Axius undis,
Axius egregio perfundens flumine terram.
Paphlagonum ductor ruit inde Pylaemenes ingens
ex Enetis, genus est mulis silvestribus unde ;
adjunxitque acies quas Sesamus, atque Cythorus,
et quas Parthenius misit liquidissimus amnis,
quas Cromna Aegialusque habuit, celsique Erithini.
Quem prope, Alizonum populos in bella ciebant,
ex Alybes tectis, Odiusque et Epistrophus acer,
cujus inest foetis argenti copia terris.
Protinus inde Chromis Mysos ducebat aruspex ;
at non Thessalicae medicari cuspidis ictum
augurio valuit, namque illum stravit Achilles
cum flavium rubro maculavit sanguine Troum.
Sed Phrygas Ascanius Phorcysque in proelia traxit,
tunc ex Ascania cupidos incendere Martem.
Antiphus et Mesthles mox inde, Pylaemene creti,
quos peperit Gygaea palus, praeclara movebant
agmina Maeonios Tmoli sub culmine natos.
Tum Cares duxit validus certamine Nastes ;
qui Miletum habuit, Phthiri qui culmina celsi,
quos Mycalae caput et Maeandri miserat unda ;
illos Amphimachusque, Nomionis inclyta proles,

qui fulgens auro lascivae more puellae
castra adiit demens, neque enim propellere mortem
aurati potuere sinus, cum magnus Achilles
in fluvio stravit pugnantem atque abstulit aurum.
Sarpedon rapuit Lycios et Glaucus in arma,
tum procul a Lycia et velocis gurgite Xanthi.

## LIBER II

Atque hic Tydidae vires animumque Minerva
sufficit, in cunctis celebrem quo redderet illum
Argolicis, clarumque viro accumularet honorem.
Ardet inexpletum galea clypeoque coruscat
ignis agens flammas, aestivi sideris instar,
cum redit Oceano lotum rutiloque novatum
fulgurat ore jubar ; sic igneus emicat ardor
in capite inque humeris juvenis, quem bellica Pallas
conciet in medios hostes, qua plurima densos
arctat turba globos. Erat intra Pergama quidam
Iliaca de gente Dares, ditissimus agri,
Vulcani purus vates, cui pignora bina
Phegeus Idaeusque aderant fera bella tenentes.
Hi juveni infestas torserunt aequore habenas
subvecti bijugo curru ; pedes obviat illis
Tydides : sed cum vicina in proelia ventum est,
continuo Phegeus abducta missile dextra
contorquet, supraque humerum fugit irrita laevum
cuspis et illaesum praetervolat ; ille repente
arduus assurgit contra, nec inane lacerto
effugit jaculum, geminas interque mamillas
trajicit, atque rotis moribundum exturbat ab altis.
Illicet Idaeus pulchro vestigia curru
demittit, neque enim caeso persistere fratre
est ausus ; non ille quidem exitialia saevae
vulnera vitasset dextrae, sed Mulciber ipsum,
longaevi sortem miserans genitoris acerbam,
nocte operit danaisque ereptum vendicat armis.
Protinus abductos fratrum Tydeia proles
pellit equos, sociisque ad celsas ducere puppes
imperat. At postquam natos videre Daretis
magnanimi Troes, saeva hunc excedere pugna,
illum autem vacuos juxta procumbere currus,
extemplo turbati animi. Tum lumine glauco
insignis Pallas Gradivum in bella furentem
apprenditque manu, verbisque e pectore fusis

alloquitur : "Mavors, Mavors homicida, cruentae
injector cladis, subvertens moenia bello,
num conferre manum Teucros Danaosque sinemus,
dum pater alterutris det Jupiter altus honorem,
cedemusque acie, Jovis et vitabimus iram ?"
Talibus increpitat Pallas medioque furentem
Gradivum educit bello, ripisque Scamandri
constituit. Mox terga Phryges vertere, suumque
quique virum Danai straverunt aequore reges.
Primus Alizonum ductorem magnus Atrides
assurgens Odion curru deturbat inerti ;
intra humeros scapulas tereti transverberat hasta,
atque altum tota metitur cuspide pectus :
procumbit lata porrectus in arva ruina,
et percussa gemit tellus ingentibus armis.
Idomeneus Phaestum, Bori de sanguine cretum
Maeonis, excepit, quem Tarnes arva feracis
nutrierant : dumque is currum conscendit equosque,
Idomeneus humerum transmisit cuspide laevum ;
corruit ille rotis Stygia circumdatus umbra,
exuviasque viri Cretes rapuere ministri.
At minor Atrides volitante Scamandrion hasta
occupat innixus, Strophio genitore creatum,
venatu celebrem, quem quondam laeta sagittis
edocuit Diana feras, quas montibus altis
nutrit silva virens, ferro stravisse volucri :
tum vero haud favit misero pharetrata Diana,
nec studium abducto pellendi spicula nervo,
unde ingens tulit ante decus ; sed fortis Atrides
in medias scapulas fugientis condidit hastam ;
ille ruit pronus, sonitum super arma dedere.
Meriones Phereclum mactat de sanguine natum
tectonis Harmonidae, manibus varia omnia norat
qui fabricare suis, unum quem maxima Pallas
praecipuo dignata virum dilexit amore.
Ille et Alexandro puppes aequarat in undis,
principium infaustum, quae cunctis illico Teucris
quaeque sibi ingentem cumulum invexere malorum ;
namque animo ignarus non divum oracla tenebat.
Ergo hunc Meriones fugientem protinus hasta
induit, ac dextrum clunem perrumpit, et osse
sub duro insertat telum, mediamque penetrat
vesicam, et fixam transmittit cuspide pubem :
succiduo ruit ille genu, terraeque volutus
dat gemitum, effusos tenebris mors implicat artus.
Pedaeum ferit inde Meges Antenore cretum,
qui nothus est partu fusus, sed dia Theano
gratifica viro cari sibi pignoris instar
ingenue eduxit : dumque is se proripit hosti,
cominus accurrens pressa ferit occiput hasta
Phylides, rapidoque adversos turbine dentes
sub linguam extemplo transverberat aerea cuspis ;
corruit ille solo moriens, gelidumque momordit
mucronem teli. Post haec Hypsenora divum

impetit Eurypylus, sobolem Dolopione cretam,
quem populus miro semper celebrarat honore,
ceu supera de sede deum ; namque ille Scamandri
sacricola extiterat : fugientem Eumone natus
consequitur strictumque viro rotat impiger ensem,
et ferit insurgens humero qua brachia lenti
adnectunt nervi, validamque obnixus aheno
abradit mucrone manum ; cadit aequore aperto
sanguinolenta manus, turbataque lumina letum
purpureum invadit durique potentia fati.
Talia victores edebant funera campis.
At non Tydiden utro se ex agmine ferret
dignosses, Teucrosne inter Danaosne cieret
proelia : desaevit campo. Ceu spumeus amnis
obicibus ruptis violento gurgite fertur,
quem neque praeductae moles neque septa furentem
frondea quae dumis obeunt vineta coercent ;
improvisus adest, cum pleno Juppiter alveo
torsit aquosam hiemem ; tum late viribus aucta
dat stragem insurgens operumque agit unda ruinam :
sic Diomedeo Phrygiae terrore phalanges
palantes fugiunt ; multisque e millibus, acri
aspirare viro propioremque addere martem,
haud ausum cuiquam. Quem postquam strage furentem
Pandarus inque fugam vidit densa agmina dantem,
lunavit manibus sinuosum fortiter arcum :
tum micuit certas cuspis librata per auras,
perrupitque humeri qua surgunt concava dextri
tegmina, trajectoque rubens apparuit armo ;
protinus irriguo foedatur sanguine thorax.
Atque hic successu exultans ita Pandarus infit
vociferans : "Nunc, nunc, Teucri, consurgite in hostem ;
saucius est Danaum primus, nec cuspidis ictum
jam tolerare diu poterit lucemque relinquet,
ni frustra a Lycia venientem hortatus Apollo est."
Talia jactabat. Sed tristia vulnera teli
haud domuere virum ; gradibusque ex hoste receptis,
substitit ante leves currus rapidosque jugales.
Hic Sthenelum affatus : "Curru demittere ab alto,
o Capaneiade, dixit, teretemque sagittam
erue mi ex humero". Nihil is cunctatus, et alto
demissus curru saltum dedit ocius arvis ;
et prope consistens intortum vulnere telum
extulit, ac tunicis cruor insultavit ahenis.
Tum juvenis, supera aspectans convexa, precatur :
"Indomita aegiferi proles suprema Tonantis,
exaudi, siquando mihi siquando parenti
praesidio mitis per Martia bella fuisti.
Nunc ades, o Palla, nunc hostem insternere campo
annue et aggesta porrectum extendere arena,
qui fixit me praeventum et data vulnera jactat,
quique negat dudum visurum lumina solis."
Audiit orantem Pallas ; tum pondera membris
abstulit, atque auxit manibus pedibusque vigorem

cominus assistens, fuditque volantia verba :
"Nunc aude, atque hosti victricem consere dextram :
pectore namque tuo vires roburque parentis
impavidum ingessi, quo quondam efferbuit ingens
Tydeus ; atque omnem quae dudum obducta tuenti
mortales visus hebetabat turbida nubes
eripui ex oculis, quo sit tibi lumine promptum
purgata jam in luce hominem spectare deumque.
Hic si forte deum quisquam in certamine tecum
tentet inire manum, tu ne fer proelia contra
caelicolas alios ; at si Venus aurea certet
conserere arma tibi, tum cuspide fortis ahena
fige deam". Dixit ; tenuesque evasit in auras.
Nec mora ; ab integro juvenis Calidonius hostes
arietat in primos, saevaque infensior ira
Mavortem instaurat ; quamquam ille ardebat et ante
irruere in Teucros, tum vero inmania membra
ter tantus gliscens subiit vigor. Utque leonem
saltantem in caulas, stragem exitiumque ferentem
lanigeris ovibus, summa tenus attigit hasta
cum leviter pastor laesoque in pectore vires
succendit, nec deinde ardenti ire obvius hosti
sustinet ; ille furens acri ruit impete, et altis
grassatur stabulis victor ; trepidantque fugato
deserti pastore greges, coeuntque vicissim
attonitae pecudes et commiscentur in unum,
donec pulsa fames, saltuque obstrusa relinquit
septa leo : similis vestigia concita ductor
infert qua medius pugnae rotat agmina vertex.
Et primum Astynoon, primum se se obtulit ille,
decutit, ac populi pastorem Hypenora, campo :
illius adversam super irruit hasta mamillam ;
huic humeri clavem destrictus cominus ensis
discrevit, colloque humerum tergoque diremit.
Hos ubi destituit, Polydon Abantaque fundit,
quos luci Eurydamas genuit vaga somnia doctus
conjectare senex, at saeva in proelia missis
somnia non cecinit natis ; sed martius ambos
Tydides pariter vita spoliavit et armis.
Jamque petit Xanthumque Theonaque Phaenope cretos,
quos pater effoetae domitus torpore senectae
edidit : hi tantum fuerant quos ille peculi
linqueret heredes, sed et his Calydonius heros
ense animum eripuit, gemitum maestasque parenti
destituens lacrimas ; neque enim discrimine pugnae
excepit reduces, possessaque jugera late
praefecti orborum fisco viduata dicarunt.
Tum duo Priamidas dat Echaemonaque Chromiumque
germanos leto, quos idem sustulit axis :
utque armenta leo sylvis errantia nactus
aut vitulae aut vaccae perfringit guttura morsu,
sic miseros fratres biga detrusit ab alta
Tydides, vitaque ambos spoliavit et armis ;
at socii ad naves captos pepulere jugales.

Quem postquam Aeneas videt alta in strage tremendum,
perque virum bellantum acies perque horrida tela
rumpit iter ; campoque ferens vaga lumina circum,
perlustratque duces, sobolemque Lycaonis acrem
Pandaron offendit, dictisque irritat in hostem :
"Pandare, ubi est arcus tibi nunc ? Ubi spicula ? Ubi illa
gloria bellandi, qua te jam nemo lacessat
Dardanidum, nemo in Lyciis se praeferat arvis ?
Eia age, tende Jovi palmas, cornuque reducta
in juvenis corpus celeres molire sagittas
qui nos infestat violentus, et agmina Troum
demetit, ac juvenes tot fortia pectora leto
devolvit. Phrygibusne aliquis succensuit olim
propter sacra Deus ? Namque est gravis ira Deorum."
Talibus Aeneas. Contra sic Pandarus orsus :
"Aenea, armigerum vir consultissime Troum,
hunc ego Tydidae assimilo, clypeumque jubasque
et galeam agnosco, rapidos quoque cerno jugales.
Quem vero appello Diomedem, hominemne deumne
esse putem dubito. Neque enim sine numine divum
tantus in arma furit ; sed quidam proximus haeret
coelicolum, nebulaeque humeris obduxit amictum.
Ille extrusa meo detorsit spicula nervo
frustratusque ictum est : humero jam vulnera dextro
ingessi, praeterque cavum thoracis adegi,
censebamque aura functum demittier Orco ;
nec tamen edomui. Certe est haec ira deorum.
Quos vero ascendam currus rapidique jugales
haud mihi sunt praesto. Laribus sunt nempe paternis
compactae undenae bigae novitate decorae,
quas varii picto sternunt velamine pepli,
cornipedesque trahunt bijuges, qui candida mandunt
hordea nunc stabulis alvumque siligine complent.
Saepe pater suasit praesignis marte Lycaon,
proelia cum peterem, currus conscendere equosque ;
nunc repeto infelix monitus quos ante refelli :
namque ego dum metuo, ne clausis aggere Teucris
pabula deficerent nostros consumpta jugales
assuetos tolerare famem praesepibus altis,
indulsisse illis statui, tectisque reliqui ;
et pedes huc arcu fretus pharetraque tetendi,
haudquaquam auxilio nobis usuve futuris.
Jamque ego primores Danaum Menelaon et ipsum
vulnere Tydiden petii, excudique cruorem,
ac mage succendi. Nimirum adversa fuerunt
fata mihi nimium, quo primum tempore fixo
pendentes clavo detraxi concitus arcus,
Iliacasque arces adii, Teucrumque secutus
militiam Hectoreae suggessi gaudia menti.
Si vero reditu potiar, si lumine cernam
uxorem patriamque domum testudine tutam,
demetat hostilis caput hoc mihi protinus ensis
ni frangam hosce arcus manibus flammisque cremabo
succensis, qui me nequicquam in bella sequuntur."

Finierat. Phrygius contra sic excipit heros :
"Parce queri, cedent eventu cuncta sinistro,
ni simul infestos impacti turbine pugnae
flectimus alipedes, juvenemque lacessimus armis.
Quare age, et in nostrum vestigia subjice currum,
ut videas quanta bijuges per aperta procella
huc illuc rapidi fugiant rapidique sequantur.
Hi nos intra urbem referent, si Jupiter acrem
Tydiden iterum pugnae cumulabit honore.
Nunc age, flagra manu contractaque corripe lora,
ast ego cornipedes scandam martemque capessam ;
aut tu certa armis, ego frena sonantia flectam."
Tantum effatus. Ad haec Lycius ita Pandarus infit :
"Ipse quidem, Aenea, frenos molire tuorum
quadrupedum ; pandi versabunt pondera currus
sub solito rectore magis : ne si dare rursus
cogamur terga effugio, eluctantia quassent
colla feri, trepidique fuga retinacula vincant,
neve tuum optantes sonitum denso agmine nolint
exportare equites ; tum vero Aetolius heros
deturbet leto implicitos, abigatque fugaces
in castra alipedes. Sed jam bijugesque rotasque
impinge adversus ; ego saevum fortiter hostem
excipiam infesti venientem cuspide teli."
Ut fatus, picto subvectant corpora curru,
in juvenemque avidi volucres pepulere jugales.
Quos ubi prospexit Sthenelus Capaneia proles,
Tydiden pavido compellat protinus ore :
"Tydide Diomede, animo gratissime nostro,
En geminos tueor qui te in certamina poscunt
belligeros juvenes, arcu confligere suetum
Pandaron egregia genuit quem stirpe Lycaon,
Aeneamque simul quem Dardanio Anchisae
alma Venus peperit. Sed versis, eia age, frenis
cedamus, neque te in densas ita conjice turmas,
eripiat ne dulcem animam tibi Dardanus ensis."
Illum torva tuens Diomedes talibus orsus :
"Ne frustra ardentem pugna praevertere dictis
sollicita mentem ; fuga nulla e turbine Martis
degenerem arguerit ; sunt et nunc fortia nobis
pectora visque animi. Quin hos haud scandere tendo
cornipedes, contraque ambos pedes invehar hostes ;
ipsa metum longe, manifesto in lumine, Pallas
reppulit. At si fors pedibus diffugerit alter,
haud ambo evadent. Memori tu nunc animo hauri :
si consulta mihi juvenum Tritonia Pallas
amborum illato dederit de funere laudem,
continuo ardentes properans cohibeto jugales,
et versato manu frenos, stimulisque citato
Aeneae alipedes inque agmina pellito Graium,
illorum de gente satos quos Jupiter alta
voce potens pretium tribuit Ganymedis adempti
Iliaco Troi ; cunctos virtute praeibant
quos aurora rubens solisque alta orbita lustrat.

His vero Anchises clam Laomedonte fugaces
supposuit mox pastor equas, sexque inde recepit
semine ab aethereo stirpem furatus equinam :
quatuor ipse quidem plena ad praesepia nutrit ;
at geminos dedit Aeneae vestigia campo
incita ferre bonos. Quos si rapuisse licebit,
conserti egregium belli referemus honorem."
Talia colato memorant sermone vicissim.
Jamque hostis bijugis subvecti cominus adsunt,
Tydidenque prior compellans Pandarus infit :
"Magnanime ac prudens clari sate sanguine Tydei,
haud dudum intorta domui tua membra sagitta,
jamque gravi experiar praefixum cuspide telum."
Sic ait, atque manu vibrans teretem jacit hastam
arduus ; illa viam clypei molita per oras,
squamigeram pulsu destringit tegmen aheno.
Tum simul haec patulo proclamat Pandarus ore :
"Trajeci penitus ventrem ; mihi gloria tanti
per gentes ierit leti laudesque ferentur."
Ille ait : "Errasti, nullo discrimine cuspis
incubuit ; sed non ego vos absistere pugna
perpetiar, validis dum caesus viribus alter
exsatiet gladium mananti sanguine nostrum."
Haec ait ; et jaculum intorquet, quod bellica Pallas
direxit, propterque oculum sub naribus egit
transque albos pepulit dentes, memor inde tenoris
hasta sui linguam secuit radicitus imam,
sanguineasque gravi perrupit turbine fauces.
Corruit ille rotis praeceps, gemituque resultat
discolor aere rigens tunica, ingentique fragore
expavere feri ; tum vero animusque vigorque
solvitur exanimi. Clypeo dehinc saevus et hasta
desilit Aeneas, veritus ne exsangue cadaver
eripiant Danai, caesoque assistit amico,
ceu leo magnanimus, parmaque hastaque jacentem
protegit, atque ardens venientes sternere campo
infremit horrendum. Tum saxum sustulit ingens
Tydides, molem immanem, quam nec duo ferrent
qualia nunc hominum producit corpora tellus :
ipse quatit facile, et toto mox sanguine nixus
vicinam femori labefactat caute cruenta
vertebram implexi qua nexus vertitur ossis,
hanc cotylam appellant ; cotylam confringit et ambos
disrumpit nervos ac pellem dissicit ictu
saxum immane gravi. Tum vero cernuus heros
poplite succiduo ruit arvo, et robore dextrae
nixus humo pendet, noxque obvia lumina claudit.
Tum vero et tenues vitam exhalasset in auras
rex hominum Aeneas, ni tanta pericula nosset
alma Venus magno Jove nata ; hunc ipsa bubulco
Anchisae ediderat ; niveis quae offusa lacertis
implicuit caram sobolem, duplicataque pepli
tegmina fulgentis super intulit ut foret actis
valli instar jaculis, nec quisquam ex agmine Graium

pectora trajiceret vitamque hauriret ab hoste.
Illa quidem natum bello ex ardente ferebat.
At non magnanimi Diomedis jussa fideli
exciderant Sthenelo. Tortisque obversus habenis
inde suos bijuges belli de fluctibus actos
constituit ; paribusque jubis colla alta comantes
Aeneae conscendit equos, pepulitque flagello
intra acies Danaum : tum grato jussit amico
Deipylo (hunc cunctis juvenem ex aequalibus unum,
quod sibi fidus erat, magno afficiebat honore),
in castra avertisse feros ; iterumque jugales
ipse suos scandit. Facilesque retorquet habenas,
Tydidenque petens celeri rapit aequora curru.
Ille autem infesto fugientem Cyprida saevus
aere sequebatur ; puro nam lumine norat
degenerem esse deam, numerum nec inire dearum
quae fera bella regunt campis aciesque virorum
praecipitant pugnae, non qualis bellica Pallas,
impia non urbes qualis populatur Enyo.
Hanc ubi per medium turbae per tela per hostes
sectatus dudum jam tandem urgebat, acutae
cuspidis intendit violentam turbidus hastam
Tydeos egregii natus, saltuque levatus
extremam petit aere manum fulgente sinistram ;
ambrosiamque deae pallam, quam molliter ipsae
texuerant Charites, tenerumque interritus hasta
infodit corpus extremae in limite palmae.
Ambrosius micat inde cruor, quem nomine certo
ichora appellant, qualis solet esse deorum
caelicolum : neque enim crustis cerealibus illi
vescuntur caelo, nec fervida vina propinant ;
sunt itaque exsangues, immortalesque vocantur.
Ejulat alma Venus, foedoque e vulnere tardum
sistit humi natum : simul illum Phoebus Apollo
nube cava obtexit, ne quisquam ex agmine Graium
transigeret pectus vitamque hauriret ab hoste.
Protinus infensa Diomedes voce dolenti
inclamat divae : "Belli, Jove nata, tumultus
effuge. Non teneras satis est fraudare puellas ?
At si te rursus miscentem proelia campo
offendam, faxo metues ubicumque vel ipsum
ad pavidas belli nomen tibi venerit aures."
Sic ait. Illa obiter luget ; torquebat acerbe
plaga cruenta deam ; quam densa extra agmina praepes
comprensam educit par vento cursibus Iris,
peste gravem saeva ; formosos decolor artus
infecit livor. Tum laeva in parte sedentem
Gradivum offendunt, porrectae cuspidis hastam
cornipedesque cava celeres caligine septum.
Tum dea procumbit duplicato poplite, et acres
poscit equos supplex mandentes dentibus aurum.
"Care, inquit, frater, si te mea cura remordet,
da, rogo, cornipedes, ut celsi culmen Olympi
sidereasque domos repetam ; nam vulnere acerbo

torqueor infandum, quo me mortalis iniqua
Tydides laesit dextra, qui ferre parenti
audebit jam bella Jovi et concurrere in armis."
Dixerat. Auratis fulgentes tradit habenis
continuo Gradivus equos ; tum diva volucres
subnixa in currus animum moerore fatigat :
una Iris vehitur, frenisque operata regendis
instigat bijuges flagris ; avidique volarunt
aera per liquidum, celsique ad culmen Olympi
coelicolumque domos pennis fugere citatis.
Hic tum pressit equos par vento cursibus Iris,
disjunxitque rotis, et dulcis gramine pavit
ambrosiae. Sed enim matris Venus alma Diones
labitur in genua ; at gnatam dea mollibus ulnis
implicat, atque manu permulcens nomine blande
compellat, placidaque affatur voce dolentem :
"Cui tantum de te licuit, mea nata, deorum,
ceu tibi sit studium violenta capessere bella ?"
Tum Venus haec contra : "Diomedis dextra superbi
Tydidae incussit vulnus, quod turbine belli
eriperem Aeneam dulcissima pignora nostrum,
quae mihi cunctorum est longe carissima proles.
Nec jam adeo in Grais bellum Phrygibusve geretur,
jam Superos ipsos Danai in fera bella lacessunt."
Sic Venus ; et Veneri contra sic orsa Dione :
"Perfer et immitem tolera, mea nata, dolorem,
multi etenim superum caeli quos sustinet axis
mortali infandos opera excepere labores.
Ipse quidem Mavors Oti validique Ephialtis
passus Aloeidum manicas atque aspera quondam est
vincula ; dumque micans radiis recidiva resumptis
ter deciesque polo repararet cornua Phoebe,
aerata inclusus stetit et devinctus in olla :
atque avidum stragis numen periisset ibidem ;
sed nivea effulgens forma aeriboea noverca
Mercurium admonuit, qui furtim carcere tetro
jam domitum angusta subtraxit compede Martem.
Quin etiam Juno regina tricuspide telo
Amphitryoniadae dextram violata mamillam est,
corripuitque deam dolor inmedicabilis ictu.
Mox Erebi in portis et manes inter opacos
pennigera aeternum cruciarunt spicula Ditem,
Herculis aegifero geniti Jove concita nervo :
ille autem in magni se sustulit atria caeli
multa dolens telo graviter transfixus acerbo,
nam forti detrusa humero letalis arundo
vexabat misere ; tandemque salubribus illum
Paeeon succis fovit mitique veneno :
sic fati immunis nec sorti obnoxius atrae,
evasit sospes conducto vulnere Pluton.
Ille quidem infelix, qui, turpi ingentia probro
gesta notans, superos violento perculit arcu !
"Sic in te glauco praesignis lumine Pallas
perpulit hunc : nescitque amens Tydeius heros,

qui Superis certet, viridi procumbere in aevo ;
non illum insani reducem discrimine Martis
stare rudes circum natos, genibusque supinis
lascivire patris laeti, blandoque parentem
compellare sono. Caveat mox viribus audax
Tydides, nequis secum praestantior armis
dimicet ; ac dulci tandem viduata marito
sopitos miseri sonitu plangoris amicos
Aegialaea suos strato excitet Adrastine,
atque virum populi summum deploret Achivi."
Sic ait, et manibus fluidum de vulnere natae
ichora abstersit ; tactu medicata coibat
laesa manus, mites tactu evasere dolores.
Haec dum Juno simul laete Pallasque tuentur,
ante Jovem exsultant, Venerique illudere certant.
Ac prior orsa loqui coram sic caesia Pallas :
"Jupiter o genitor, numquid mea protinus aegre
dicta feres ? Dum fors Danaas Cytherea puellas
pellicit ut Teucros patrio procul orbe sequantur,
harum unam pulchra defensam pectora palla
attigit, atque manum fibula perstrinxit acuta."
Subrisit dictis hominum pater atque deorum ;
tum Venerem accersit, placidaque ita voce profatur :
"Non tibi debentur pugnae, mea nata, labores,
te decet unanimes thalamis conjungere amantes ;
bella furens agitet Mavors atque innuba Pallas.
Dumque haec alterno memorant sermone vicissim,
in Phrygium furit Aeneam Calydonius heros ;
et licet obductum Phoebea agnosceret umbra,
stat conferre deo pugnam, stat mittere ad umbras
Aeneam, spoliisque artus incingere opimis.
Ter conatus ibi mucrone abscindere nubem
persultans pedibus campum, ter magnus Apollo
reppulit adversi clypeum, juvenemque retorsit ;
jamque iterum par ille deo se sustulit arvis,
cum sic horrendum intonuit pharetratus Apollo :
cedito, Tydide, et Superis certare caveto
consiliis ; neque enim par divum morte carentum
est genus, atque hominum terrae qui summa peragrant."
Haec Deus. Ille gradu paulum cedente regressus,
ocius arcigeri devitat Apollinis iram.
Tum juvenem ereptum tenui discrimine leti
Pergameis infert laribus sublimis, ubi illi
templum erat ; hic Phoebe gravida succincta pharetra,
hic Latona ducem consolanturque foventque
invectum longis penetralibus. Ipse repente
arcitenens tenuem effingit sine viribus umbram
in faciem Aeneae, simulatisque instruit armis :
"Quam circum obnixi Troes Danaumque phalanges
certatim alterni confligunt turbine Martis ;
aeratosque orbes taurino tergore amictos,
pectoribus tectis, et scuta volantia tundunt.
Mox deus arcitenens Gradivum in bella furentem
increpitat : Mavors, Mavors homicida, cruentae

injector cladis, subvertens moenia bello,
nonne hunc Tydiden pugna prohibebis iniqua,
qui ferus in magnum jam stringeret arma Tonantem ?
Jam Veneri extremam temeravit cuspide palmam,
et mihimet tandem congressus daemonis instar."
Dixit, Pergameaque levis super astitit arce.
Continuo resides Teucros stimulabat in arma
feralis Mavors, Thracasque in bella trahentem
mentitus versa pernicem Acamanta figura,
a Jove nutritam Priameia pignora turbam
sic voce instigans : "O quos Jovis, inquit, alumnus
eduxit Priamus, Phrygium quonam usque sinetis
concidi populum segnes ? An donec ob ipsas
confligant portas ? En nobis Hectoris instar
observatus, in hoc miserabilis occubat arvo
Aeneas Anchisiades pars maxima belli.
Eia agite, unanimes hostili ex agmine fortem
extorquete, viri, socium." Sic excitat acres
Bellipotens Teucros renovatque ad vulnera dictis.
Interea ingentem Sarpedon Hectora in hostes
talibus exstimulat : "Quo nunc evanida fluxit
vis antiqua animi ? Quid enim jactare solebas
te te unum, generis comitatum et fratribus, urbem
defensurum armis, populo auxiliisque carentem ?
Nunc cum tela manus poscunt, nullum aequore toto
intueor : pavitant, ceu saevo offusa leoni
turba canum ; soli gerimus nos proelia campo
auxilio acciti. Nempe ipse in castra tetendi
huc procul a Lyciae populis Xanthique fluentis,
consortemque tori dulcem gnatumque reliqui
infantem, laetas segetes multumque peculi
quae voto expeteret pauper : nec segnius hortor
in Martem Lycios, juvenemque invadere pugna
est amor. Atque mihi nil hic quod agatve feratve
Argolicus praedator adest. Tu languidus Hector
cunctaris, nec degeneres hortatibus imples
Dardanidas, patriamque jubes thalamosque capessant ;
ne ceu venatu sinuosa in retia pulsi
ludibrio sitis Danais praedaeque superbis,
neu vestram expugnent armis victricibus urbem.
Cuncta tuam exposcunt curam : noctesque diesque
te reges ambire licet, qui fida ministrant
auxilia, ut tantos durent in Marte labores,
ut maneant ; nec fas invisis carpere dictis."
Talibus Hectoream mentemque animumque momordit.
Ille autem e curru saltu demissus in arvum
infert se mediis, geminasque reciprocat hastas,
continuoque animos vulgi et trepidantia bello
corda virum insano Martis succendit amore.
Jamque fugam sistunt, infestaque pectora Teucri
hostibus objectant ; denso contra agmine Grai
conferti, intrepidisque obnixi viribus instant.
Ac veluti aestivas ubi surrigit area fruges
cum tepidi glumas venti populantur inanes,

et sua ruricolae nudi frumenta citato
ventilabro ejectant, flabrisque agitata secundis
diducit sensim frugem glumasque volantes
flava Ceres, canent extremo in margine acervi ;
agmina sic Danaum putrido concreta superne
pulvere canescunt, quem sollicitatus equorum
pulsibus attollit glomeratque sub aethera campus,
dum mixti obvertunt aurigae undantia lora.
Incursant glomerati hostes ; circumque nigrantem
Iliaci praeses belli Mars aggerat umbram,
undique collustrans acies, mandataque Phoebi
exigit aurato gladii fulgore micantis,
qui resides illi Teucrorum in proelia suasit
instaurare animos, cum primum Pallada vidit
securam Danaum campo abscessisse cruento.
Ipse autem pingui ex adyto in certamina misit
Aeneam, et valido distendit robore pectus.
Isque ubi se sociis immiscuit, omne repente
laetatur Troum ductore superstite vulgus,
vidit ut incolumem venientem et viribus auctum :
nil tamen inquirunt ; neque enim labor improbus urgens
compellare sinit, dederat quem magnus Apollo,
qui nitido argento radiantem sustinet arcum,
demittensque neci mortalia corpora Mavors,
et numquam fesso gradiens contentio motu.
Tum Danaos gemini Ajaces et clarus Ulysses
Tydidesque ferox stimulant in Martia bella.
Ipsi non vires, Phrygiae non gentis ovatus
horrere ; at similes nebulis perstare coactis ;
quales supremis per sudum Jupiter olim
montibus agglomerat, Boreae cum flabra quierunt,
cum venti posuere boni qui dulcibus auris
concreta obscuro detergunt nubila caelo :
sic Danai in saevos conniti firmiter hostes.
At bonus Atrides digesta per agmina fertur
multa monens, comitumque animos sic voce fatigat :
"Este viri, fortemque animum praestate, verentes
quisque suum alterni socium ; timor omnis abesto :
quos pudor et virtus animant in Martia bella,
incolumes superant ; vertentes turpia terga
gloria nulla manet, vis nulla in pectore surgit."
Dixit ; et excusso torquens hastile lacerto
Pegasiden prima pugnas a fronte cientem
Democoonta ferit, comitem certamine saevo
magnanimi Aeneae, grato quem semper honore
affecere Phryges Priamei pignoris instar.
Saepe ille in primis inimicum invadere Martem
censuerat, cursu pernix atque alite planta.
Utque illi Atrides clypei conjecit in orbem
telum ingens dextra, nulla vi tegminis haesit
lancea, sed penetrans obducti cingula baltei
implicuit mucrone virum, mediumque peregit,
et tandem extrema cunctata elanguit alvo ;
corruit ille sonans, sonitum super arma dedere.

Ecce Diocleos, fortissima pectora, natos
Crethona Orsilochumque haurit mucrone corusco
Aeneas. Horum genitor Phaerea colebat
moenia, dives opum, genus alta e stirpe liquentis
Alphei Pylios qui gurgite perluit agros.
Is clarum regno Orsilochum suscepit ; at inde
magnanimus celebri est factus virtute Diocles ;
hic geminam luci sobolem fera bella tenentem
Crethona Orsilochumque tulit : qui Graia secuti
agmina, primaeva picti lanugine malas,
Iliacos domito petierunt marmore campos,
Atridum auspiciis, hic blandae lumina vitae
deseruere simul. Qualesque in vertice montis
ubere materno gemini crevere leones ;
mox stabula invadunt, populant armenta gregesque,
dum tandem infesta sub pectus cuspide adacta
ipsi hominum periere manu ; sic turbine teli
oppetiunt miseri concreto in pulvere fratres,
abietibus similes. Quos dura in fata cadentes
ut vidit miserans, primos Menelaus in hostes
proripuit gressum fulvo circumdatus aere
evibransque hastam, magnam cui mentem animumque
inspirat Mavors, saevis ut concitus ausis
Aeneae dextra patulo procumberet arvo.
Quem simul Antilochus prospexit Nestore cretus,
principibus Troum mediis se se intulit ultro,
sollicitus ne quid populorum pastor acerbus
discrimen subeat, rumpatque ingentia coepta.
Jamque manus illi, jam tela adversa tenere,
molirique impar bellum ; cum protinus ardens
exoritur juvenis. Tum quamquam maximus armis,
haud tamen ambobus pugna concurrere iniqua
sustinet Aeneas, refugosque agit aequore gressus.
Olli ut conferto jam dudum ex hoste recepta
mandarunt sociis miserorum funera fratrum,
conversi in prima bellantes fronte lacessunt.
Jamque Pylaemeneum, certantem robore Marti,
Paphlagonum regem clypeis sua membra tegentum,
dat leto Atrides, et clavem transforat hasta.
Nec mora ; Atymniaden collato marte Mydona
Antilochus ferit aurigam fortemque ministrum :
is volucres flectebat equos, teretique molarem
contortum excepit cubito, manibusque remissis
splendida candenti ceciderunt frena elephanto
pulvereum in campum : tum nudo effulgurat ense
Antilochus, mediumque infodit vulnere tempus,
eque rotis juvenem terrae detrusit anhelum :
perstitit ille diu defixo vertice praeceps,
sinciput obstipum subversosque arduus armos,
nam putris aggestis absorpsit campus arenis ;
mox tamen effusum patulis proculcat in arvis
ungula quadrupedum, dominumque in pulvere mersat :
quos porro Antilochus subigit, tortoque flagellat
verbere, et Argolicum properans compellit in agmen.

Haec procul ut vidit, contra se se ingerit Hector
vociferans ; sequiturque ducem Trojana juventus,
quam Bellona furens saevusque agit aequore Mavors :
funestum infelix pugnae gerit illa tumultum,
terrificamque manu quassat Mars impius hastam ;
et nunc magnanimum praevertitur Hectora gressu,
nunc pone insequitur. Tum vero Aetolius heros
ut Martem agnovit, pavidus vestigia pressit.
Ceu quondam imbellis gradiens per plana viator
substitit ad fluvium, quum rauco murmure vidit
cogentem spumas, trepidusque repente refugit ;
haud secus ille gradum recipit, populumque coercet,
atque ait : "O socii, quid enim miramur in armis
Hectora belligerum, celebremque ingentibus ausis ?
Unus adest juveni semper deus, horridaque arcet
fata potens. En nunc Mavors, en ille figuram
mortalem indutus. Quocirca, pectore ad hostem
converso, refugos paulatim abducite gressus ;
cedamus, neque bella deis inimica feramus."
Talibus admonuit socios ; jamque agmina Troum
contulerant gressum. Tum princeps impiger Hector
belligerum Anchialon saevumque in marte Menesthem,
subnixos uno in curru, deturbat in arvum.
Quos procul exanimes miserans Telamonius Ajax
irruit actutum, stridentemque exigit hastam,
Amphiumque petit Selago genitore creatum,
qui segetum ac pecoris dives paesaea colebat
moenia, sed Priami natorumque arma secuto
injecit fera Parca manus ; nam turbidus Ajax
infossa extremam per cingula complicat alvum.
Ille ruens contundit humum ; simul involat heros
induviis inhians : Teucri creberrima contra
spargere tela manu, jaculorum protinus imber
ingruere, innumeris horrere hastilibus umbo
obrutus. At quando stant obnixa omnia contra
nec pote ferre manum turbae, rapit ille cruentam
et super exanimum posito pede subtrahit hastam,
seque suis reddit ; votique ex hostibus impos
protelatus abit, denso namque agmine adorti
certatim ingestis subigunt decedere contis.
Sic juvenem intrepidum et spectatum fortibus ausis
conturbant statu, profligatumque retrudunt.
Talia dum campis eduntur proelia passim,
Tlepolemum ingentem latumque potentia fati,
Herculeam sobolem, dium in Sarpedona movit.
Ergo ubi contulerant vestigia rapta vicissim
filius atque nepos magni Jovis, illicet audax
Tlepolemus prior his effari vocibus infit :
"Sarpedon Lycium ductor, quae causa subegit
te belli immunem segni hic languere pavore ?
Atqui vana ferunt, qui magno ducere nomen
de Jove te memorant, quando sic stirpe priorum
degeneras hominum quos Jupiter edidit olim ;
qualem fama canit quemdam mihi rite parentem

immanem Alciden animosum more leonis,
qui quondam huc senis advectus puppibus, atque
exiguo comitatu emensus caerula propter
Laomedontis equos, subvertit Pergama bello
Dardaniasque virum viduavit gente maritas.
Tu vero imbellis passim socia agmina cernis
exspirare animas. Sed enim auxiliaria Teucris
haud ultra arma feres, Lyciis qui adveneris arvis,
non tibi si vires superent ; nam vulnere nostro
occumbes, tristesque Erebi penetrabis ad umbras."
Tum contra impavida Sarpedon mente profatur :
"Ille quidem augustae subvertit moenia Trojae
Laomedonteo sumens de crimine poenas,
qui juvenem, officio devictus, tristibus asper
increpuit dictis, bijuges nec reddidit acres,
pro quibus ille procul submotis venerat oris.
At tibi fata feret funestaque vulnera leti
nostra manus, magnumque dabis mihi martis honorem,
exactamque animam volucrum moderator equorum
excipiet Dites." Sic ore effatur ; et ambo
alter in alterius torquent hastilia corpus :
fraxineum toto jaculatur sanguine robur
Tlepolemus, manibusque virum tela incita utrimque
certa secant auras. Telum Sarpedonis hostem
per medium fixit guttur, totumque peregit ;
at femur irrumpit violento fraxinus ictu
Tlepolemi contorta manu, rubefactaque summas
scrutatur latebras, duroque infigitur ossi.
Illum aegre Lycii torpentia membra trahentem
exportant, torquetque virum cruciatibus hasta
pendula dum femori trahitur defixa cruento ;
vulnere namque alto detrusum exsculpere lignum
haud ausum cuiquam, quo se discrimine posset
sponte referre sua pedibusque insistere certis :
is labor urgebat trepidos, ea cura ministros.
At parte ex alia referunt Argiva juventus
Tlepolemum exanimem. Tum postquam agnovit Ulysses
infelicem obitum socii, seseque animumque
increpat ipse suum tam dira et acerba ferentem :
aestuat ancipitemque alternat pectore curam,
invadatne Jovis prolem, Lyciasne corusco
exagitet mucrone acies rapiatque sub umbras.
Sed miserum Lycii fatum ductoris Ulyssi
invida sors renuit ; mox illi flava virago
alternantem animum Lycium compellit in agmen.
Caeranon hic umbris et Alastora dat, Chromiumque,
Alcandrumque, Haliumque, Noemonaque, Prytanimque.
Atque alios Lycium fudisset dius Ulysses,
ni porro agnosset cristatae cassidis Hector ;
in primasque acies vibranti splendidus aere
se tulit, ingenti Danaos formidine terrens.
Protinus adventu Sarpedon laetus amici,
talibus implorans juvenem lugubre profatur :
"Priamide, ne me laniandum desere saevis

Argolicis ; tolle o miserum, refer ocius urbis
moenibus ; hic blandam liceat mihi rumpere vitam,
quando fata negant reditus, et conjugis ora
laeta meae renuunt parvumque revisere natum."
Ille nihil ; campumque legit ; namque acrior intus
cura premit, multos Danaum demittere ad Orcum.
Semianimem interea socii Sarpedona sistunt
sub Jovis aegiferi ramosae tegmine fagi.
Nec mora ; fraxineum, reserato vunere, truncum
extundit Pelagon, comitum longo ordine primus :
linquitur ille animo, atque oculis nox incubat atra,
respiratque iterum, Boreae nam spiritus aegram
inspirans animam recidiva suscitat aura.
Interea Argolici non Martis et Hectoris armis
palantes fugere, imparibusve occurrere telis ;
sed regredi sensim, rabidum ut novere Gradivum.
Quem vero hic primum quem postremum impiger Hector
dejecit, natus Priami, et Mars aeneus arvis ?
Divinum Teuthranta, equitemque in pulvere Orestem,
et Trechum Aetolum consternunt, Oenomaumque
qui studio succensus opum Cephisia propter
stagna habitarat Hylen, alii qua pinguibus arvis
Boeoti posuere lares. Sed candida Juno
hos ubi sanguineo late defervere campo
prospexit, volucri compellans voce Minervam :
"Pro Superi, o magni proles invicta Tonantis,
siccine, ait, nostris cecidit sententia fallax
pollicitis, simul ac bello expugnarit Atrides
Iliacas Menelaus opes et verterit urbem.
Undisonum ut relegat pontum patriamque revisat ?
Quid ? Martemne ultra lymphato pectore campis
sanguineum furere et pugnas agitare sinemus ?
Immo, age, nos itidem contra expediamur ad arma."
Sic ait. Illa deae monita imperiumque capessit.
Protinus auratis alacres accingit habenis
alipedes Juno magni matrona Tonantis.
At festina rotas Hebe subnectit ahenas
curribus, atque octo radios quos ferreus axis
circumagit, radiatque ardenti aeterna rotarum
curvatura auro, quam circum innexuit orbem
aeneus extremum visu mirabile canthus :
hinc atque hinc axem rapida vertigine circum
argento modii fulgent : argentea lora
aureaque intendunt subnixam splendida sedem :
desuper assurgunt camuro duo tympana dorso :
fulgurat argento temo editus. Illicet Hebe
porrectumque jugo temonem subligat aureo,
aureaque annectit latis subitura ferorum
vincula pectoribus. Tum colla comantia Juno
subjuga prosubigit, flagratque cupidine pugnae.
At vero Aegiferi soboles Jovis innuba Pallas
exuit ardentem peplum, quem docta laborum
ipsa suis manibus mira variaverat arte,
deponitque Jovis strato ; tunicamque repente

induit, et patriis in bellum accingitur armis.
Nec mora, centenis radiantem ad pectora transfert
Aegida fimbriolis : clypeique extrema coronant
hinc Pavor, hinc robur violentum, inde Impetus ardens,
Seditioque minax ; medium porro asperat orbem,
terrificum horrendum vultu specieque tremendum,
Gorgonei cervix monstri, gestamina dextrae
Aegiferi patris. Tum lectos aurea cassis
obnubit crines, gemini cui tempora circum
orbiculi effulgent, duplex hinc nexus et illinc
mordaci galeae juncturas fibulat auro ;
quae capita integeret peditum quot moenia centum
maxima conciperent. Volucri mox ignea planta
flammato infertur curru ; duramque gravemque
ingentemque manu valida vi corripit hastam
qua densas Jove nata acies heroaque fundit
pectora, quos odio contra dea flagrat acerbo.
Protinus urget equos Juno, et crepitante flagello
praecipitare moras subigit ; caelique repente
sponte sua patuere fores, servantibus Horis.
Caelum ingens ollis et magni culmen Olympi
custodisse datum est : aliaeque nigrantibus umbris
obductum et crassa purgant caligine mundum ;
nube premunt auras aliae. Stimulisque citati
emicuere feri reseratae e limine portae.
Nec mora, multijugi supremo in vertice Olympi
convenere Jovem secreta in sede quietum.
Hic rapidos ubi pressit equos Saturnia Juno,
sceptrigerum tali compellat voce Tonantem :
"Jupiter o genitor, non tu pro talibus ausis
succenses Marti ? Fers ne hunc tam saeva furentem ?
Nam quantum qualemque, nefas ! abolevit Achivum
efferus insontem populum ! Nempe ipsa lacessor ;
ocia Cypris agit cornuque insignis Apollo,
quorum hic hortatu furit ecce nefarius illex.
Obstiterisne tua, genitor, mihi protinus ira,
si male mulctatum proturbo ex aequore Martem ?"
Jupiter huic contra, nebulas qui cogit et imbres :
"Immo, age, belligeram, suevit quando illa Gradivum
edomuisse armis, contra hunc impelle Minervam."
Dicta probat Juno, rapidosque accensa jugales
aera per liquidum repetito verbere adurget.
Olli autem sese per inania nubila librant
praepetibus pennis, pariter tellure jacenti
stelligerique procul suspensi e culmine mundi :
quantum namque acie quondam transmittat acuta
qui mare purpureum scopulo despectet ab alto
aera pugnaci luctatus rumpere visu ;
tantum alacres spatii sublimia colla ferentes
persultant divum alipedes. Trojamque repente
appellunt, qua se collatis viribus uno
gurgite confundunt Simoentis et unda Scamandri.
Huc ubi perventum, frenos Saturnia Juno
supprimit, atque feros curru subducit aperto,

et caliganti circum contexit amictu ;
his vero ambrosium caelestia pabula gramen
submittit Simois. Nulla est mora, protinus illac
assimiles pavidis cursum rapuere columbis,
suppetias Danais. At postquam intra agmina ventum est
magnanimosque duces, qui, denso examine mixti
Tydiden circum truculentum, bella leonum
fulmineosque imitantur apros quorum aspera vis est,
compressis propere gradibus dea candida Juno
Stentora magnanimum simulat ; qui gutture ahenam
fundebat vocem, et patulo clamabat hiatu
quinquaginta sonent quantum simul ora virorum ;
hisque animos tollit dictis et conciet armis :
"Quis pudor, indecores pulcherrima corpora Grai !
Proelia dum campis dius miscebat Achilles,
numquam ausi Iliacae limen transcendere portae
Trojugenae, numquam Danais componere dextras ;
tantum Thessalicae trepidabant cuspidis ictus !
At nunc, urbe procul, media in navalia pugnant.
Talibus evibrat mentes atque efferat iras.
Ipsa Diomedem glauco dea lumine Pallas
curriculo aggreditur ; medio quem convenit arvo
inter equos interque rotas, dum tabida mulcet
vulneris ora manu, volucris quod turbine teli
Pandarus inflixit. Namque armum nexile vasti
umbonis lorum riguo sudore madescens
torserat attritu, defectaque robore dextra
languebat juveni ; qui postquam inserta levarat
vincla humeris, fluido tergebat sanguine vulnus.
Utque jugum tetigit Pallas, sic farier orsa est :
"Quam sibi dissimilem Tydeus in luminis oras
progenuit sobolem ! Nempe illi ad bella calenti
major in exiguo regnabat corpore virtus.
Saepe ego gliscentem pugnas animisque furentem
sedabam et dulci subigebam abscedere bello.
Cum petiit solus Thebanas nuntius arces :
saepe illum dapibus jussi indulgere quietum
aulai in medio, sed enim acri robore mentem
suffectus, juvenes saeva in tentamina pugnae
sollicitare ferox, omnes anteire repente
Cadmeidas. Sic ipsa aderam, juvenemque fovebam
intrepidum. Sed te, dum fervent proelia campo,
nequicquam observo jubeoque inferre cruentum
Dardanidis bellum. Quod seu tibi membra citatus
exantlata labor domuit, seu frigida mentem
formido implicuit, numquam te exinde superbi
Tydeos Oenidae genitum de sanguine jactes."
Sic Dea. Sic contra fortissimus excipit heros :
"Nosco te, Aegiferi proles invicta Tonantis ;
atque ideo palam effabor, nec pectore condam.
Nulla premit formido animum, nulla aggravat artus
segnities ; tua me, o Palla, tua jussa retardant.
Ipsa vetas aliis collata occurrere pugna
caelitibus, Veneremque jubes contundere telo

attrectantem acies : en nunc vestigia sensim,
numinis ergo tui, refero, cunctosque gregari
hic Danaos socia pariter regione subegi ;
Martem etenim toto video defervere campo."
Suscipit hunc contra bellis accincta virago :
"Tydide Diomede, animo gratissime nostro,
jam neque Mavortem metuas nec quemque deorum,
dat tibi sum praesto dum te foveoque tegoque ;
atque adeo adversos, age nunc, impinge jugales
Gradivo intrepidus, Gradivum cominus hasta
impete : nusquam istum jam tu vereare furentem,
saevum immane malum, varium et mutabile semper ;
namque mihi coram Junonique ante recepit
cernere et adverso in Teucros belloque fovere
rem Danaam, qui nunc contra auxiliaribus armis
Iliacas sustentat opes, Graium agmina late
proterit ; en penitus promissa oblita fidesque."
Dixit ; et e curru Sthenelum detrudit in aequor,
seque rotis sublimem infert, heroaque propter
accumbit : gemuit sub pondere faginus axis,
terribilem invectans divam juvenemque potentem.
Corripit hinc flagrum Pallas facilesque lupatos.
Impingitque levem currum bijugesque Gradivo.
Ille autem immanem Periphanta in pulvere tetro
stravit Ochesiaden, Aetolae gentis alumnum.
Mox Dea Tartaream, ne se Mars cernere possit,
induitur capiti galeam. Tum letifer, acrem
Tydeos ut vidit natum, Periphanta repente
deserit exsanguem bibula Gradivus arena,
infensusque viro violento turbine fertur.
At postquam alterno ventum in certamina cursu est,
fulmineam princeps contendit protinus hastam
lora jugumque super saevo conamine Mavors,
quam propere exceptam dextra in diversa repellit
innocuamque rotis obliquat caesia Pallas.
Continuo aeratum Diomedes missile contra
exigit : ast imum directa cuspide virgo
impellit ventrem, praeductaque texta penetrat,
et lacerat pulchrum teli violentia corpus ;
hinc hastam evellit. Tum vero saucius altum
ejulat armipotens, quanto clamore novena
millia bellantum clament aut dena virorum.
Hic qualis caeli facies, quum nubibus atris
conditur in tenebras, sicco quas flamine ventus
contrahit humentes, talis sublimis in auras
Tydidae apparet saevi Mavortis imago
dum sese caecis in caelum e nubibus aufert.
At postquam in magni se sustulit atria caeli,
assedit patri ; atque animum maerore fatigans
extulit ambrosio turpatum sanguine vulnus,
et simul has aegro gemitu dedit ore querelas :
"Jupiter omnipotens, ecquid scelera ista quietus
usque feres ? Quotiens alternis numina divum
conflixere odiis, humani germinis ergo !

Tecum bella omnes gerimus : tu namque puellam
pestiferam insanam, cui semper crimina cordi,
fudisti in lucem. Nempe omnis turba deorum
imperiis parere tuis, tibi cedere sueti ;
hanc unam non re non dictis corripis ullis,
uni cuncta licent, quia te genitore creata est.
Quae modo Tydiden, Teucrorum strage superbum,
cum superis certare armis animosa subegit :
nam Venerem extremae collisam margine palmae
perculit ; inde mihi, violenti daemonis instar,
congressus telo est. Sed enim discrimina cursu
evasi. Quod ni mea sors impervia leto
lege foret Superum, diris cruciatibus ictus
inter defunctos penetrassem in Tartara manes."
Talia dicentem, jam dudum lumine torvo
defigit genitor, tum contra ita farier infit :
"Parce meas lacrimis fletuque obtundere sedes,
versicolor Mavors. Unum te ex omnibus odi
caelitibus, rutili quot sustinet axis Olympi :
semper enim strages rixas et proelia et arma
mente agitas, matrisque tibi intolerabilis haeret
Junonis furor et rabidae vis effera mentis ;
quam saepe indomitam consulto inflectere verbis
cogor ; et illius, ni me sententia fallit,
consilio, infestae pateris discrimina pugnae
sed et ferre diu tantos, Gradive, dolores
haud libitum, nostro quando te e germine mater
edidit, et nostra deducis origine nomen."
Sin alius Superum dias in luminis oras
usque adeo immanem summo genuisset Olympo,
jam pridem ingemeres Erebo detrusus opaco.
Vix ea ; cum magni Paeeon jussa Tonantis
suscipit, et sparso conducit vulnera succo,
nil mortale etenim medicas hebetaverat artes.
Ac veluti humenti glomerata coagula lacte
concrescunt tactu, solidumque gelantur in orbem,
sic tum plaga coit Caelesti fota veneno.
Sanguine sordentem Junonia diluit Hebe,
obtentuque artus operosae vestis obumbrat.
Occupat extemplo solio vicina paterno
strata ferus Mavors, nimioque superbit honore.
Jamque domos superas caelo petiere remenso
Juno colens Argos et Alalcomeneia Pallas,
fatiferum postquam pepulere ex aequore Martem.

## LIBER III

IL3_1

At Superi magni circum atria fulva Tonantis
aurato sedere solo, quis dulcibus Hebe
invergit nectar pateris ; illi aurea dextris
pocula suscipiunt laeti, redduntque vicissim,
sidereosque oculos Trojana in moenia vertunt.
Interea obliquis Junoni illudere dictis
pertentans natus Saturni, haec edidit ore :
"Nempe favent geminae Menelao in proelia divae,
Juno colens Argos, et Alalcomeneia Pallas,
quae procul aethereis residentes sedibus illum
prospiciunt laetae. Sed nulla injuria tardat
Cyprida ridentem, Paridi quin sedula custos
haereat, atque atrae depellat nubila mortis :
et nuper cum jam cuncti suprema putarent
fata sequi juvenem, tribuit Cytherea salutem.
Nunc sua belligero victoria cessit Atridae.
Sed nos consilio dubias quis casus agat res
scrutemur, validasne fero concurrere Marte
expediat turmas, an juncto foedere utrosque
servari populos. Atque haec sententia cunctis
si stet certa deis, teneant sua moenia Teucri,
Argivamque Helenen iterum Menelaus habeto."
Dixerat. Extemplo Pallasque et candida Juno
collectam abductis iram ostendere labellis ;
namque Jovi haerentes, qua possent laedere Teucros
versabant animo. Tenuitque silentia Pallas,
succenses patri ; sed Juno protinus iram
expressit, talesque effudit pectore voces :
"Saturni immanis soboles, quae verba profaris ?
Mene jubes tanto longum sudasse labore
nequicquam, et fessos pressa cervice jugales
esse mihi frustra, dum tristia proelia regi
Iliaco natisque paro, dum cogere coetus
incumbo, et Graias rapto in certamina turmas ?
Perge tamen, sed non alii tua jussa volentes
addicent Superi." Tales dedit ore querelas.
Quam contra alterna nebularum voce coactor
Jupiter effatur, magnaque exaestuat ira :
"Quid tibi nam Priamus, Priami quid regia proles
obfuit aut in te potuit committere tantum
infelix, quae sic effreno pectore tendis
diruere ingentis pulcherrima moenia Trojae ?
Nec prius absistes odiisve infracta quiesces,
moenia quam Teucrum portasque ingressa patentes,
et Priamum et natos Trojaeque potentis alumnos
dentibus exedas crudos. Sed quae tibi saeva
mente sedent, age, exsequere, ut certamina tandem
haud constent magno nobis, cogarque severus
succensere tibi. Verum haec sub mente reconde
dicta, soror, memori : quotiens ego numine tendam
expugnare meo praesignem moenibus urbem,
siqua tibi est animo, siquam mortalia complent
corpora cara tibi, tum nostram protinus iram

atteruisse cave. Sic nobis certa voluntas,
hoc tibi quando volens animo nolente remisi.
Nam quascumque urbes rutilo sol lumine lustrat,
et quascumque tegit stellati culmen Olympi,
ante omnes, colui magnae sacra moenia Trojae,
et Priamum et Priami populum praedivitis omnem ;
plurima namque meis mactata est victima sacris,
et multo calet ara mero ac nidore piata,
qualia dant Superis mortales praemia divis."
Ad quem sic oculis fatur Juno inclyta magnis :
"Tres equidem ante alias amplector, Jupiter, urbes,
Argosque, et Sparten, et compita lata Mycenes :
oderis istarum quotiens, nil deprecor, illam
verte solo ; neque enim conatus frangere tentem
ipsa tuos ; nec si studeam te flectere, conjunx,
Irascarve tibi, nostri perfecta voluntas
esse animi poterit, rerum tibi tanta potestas !
Par tamen est longos certo quoque fine labores
exegisse mihi, quod sum dea, quod genus idem
et pater ambobus fuerit, meque ipse priorem
Saturnus dias in luminis edidit oras.
Quin etiam conjunx dicor tua, culmen Olympi
qui regis et Superos certis moderaris habenis.
Verum haec alterna cedemus mente vicissim,
ipsa tibi, tu vero mihi ; sic omnis in unum
conveniet mox turba deum. Nunc maxima Pallas,
imperiis instincta tuis, petat agmina Graium
Dardaniasque acies, utque ipsi foedera rumpant
Trojani tentet sacrataque jura resolvant."
Haec postquam effata est, hominum pater atque deorum
talibus extemplo succendit Pallada dictis :
"I medios inter populos, et dissere, Palla,
crimina bellorum ; rumpant sacra foedera Troes
exhortare prius, Danaosque in bella lacessant."
Dixit. At illa leves caeli demissa per auras
advolat effuso transmittens aethera cursu.
Qualem ingens natus Saturni, curva tenentis
consilia, aethereo stellam de culmine misit,
prodigium nautis populove in bella coacto,
spargentem rutilos celsis in nubibus ignes ;
haud secus insiliens campo se bellica Pallas
intulit in medios. Subitus pavor occupat artus
spectantum ; fusaque aliquis sic voce propinquum
continuo invadens. "Aut nos accingere, dixit,
cogemur pugnae, ferroque lacessere Martem ;
aut pater omnipotens stabili nos foedere junget
Jupiter, et populi concordi pace fruentur,
namque hominum a tristi custodit pectora bello."
Talia dicta dabant. Formam dea vertitur oris
Laodoci in vultus praeclaro Antenore creti,
et Lycium toto mox Pandaron agmine quaerit.
Hunc ubi belligeras inter consistere turmas,
quas procul Aesepi deduxit fontibus heros,
repperit, his juvenem compellat vocibus ultro :

"Obsequere, eia, precor, mihi, nate Lycaonis ingens,
torque levem cornu Menelai in membra sagittam ;
pronum sterne solo : quem si cecidisse sub armis
contigerit, Teucros insigni laude fovebis,
quos bene apud memores tanti tibi gloria facti
nusquam aberit ; Paris ipse quidem splendentia dives
ante alios tibi dona dabit, si turbine teli
incitus Atrides vitam exhalabit in auras
ascendetque rogum. Sed jam molire sagittam,
et Lycium votis Phoebum precibusque vocato,
insignem cornu certum propellere telum ;
offer sacra deo, caesurum pinguibus aris
primitias pecudum, repetes cum tecta Zeleae."
Talibus amentis mentem Tritonia suasit.
Continuoque feri compactum e cornibus arcum
deprompsit capri, quem caeci in faucibus antri
ipse olim observans, inopino vulnere dulces
perculerat latebras linquentem, antroque supinum
straverat intorto trajectum pectora ferro ;
ille bis octonis surgentia cornua palmis
vertice fundebat, docto quae deinde labore
artificique manu desecta aptataque prudens
expoliit faber, et solido capita addidit auro.
Hunc ubi jam extulerat, terrae subsedit, et acri
contendit nervo ; comitum quem turba latentem
collatis operit clypeis, ne forte, priusquam
dirigat aligerum Menelai in corpora ferrum,
exciti insurgant Danai Martemque lacessant.
Sublevat hinc tegmen pharetrae, immanemque sagittam
seligit actutum, sed qua nec acutior ulla
nec minus incerta est nec quae magis audiat arcum,
tristiaque intento componit spicula nervo,
et pharetrata vocat Lycii mox numina Phoebi :
"Inde ovium primos foetus sollemnia sacra
caesurum pingues sese promittit ad aras,
cum repetet sacrae mox dulcia tecta Zeleae.
Tum bubulum abduxit nervum, volucremque sagittam
atque arcum ferro pariter nervoque papillam
contigit, et latum cornu sinuavit in orbem.
Sibila dehinc arcus nervique dedere sonantes ;
per mediasque volans acies avidumque cadendi
turbine prosiluit rapido penetrabile telum.
At non cura tui, Menelae, e pectore divum
exciderat : verum ante alios dea bellica magno
nata Jove assistens, telum detorsit amarum,
et dirum avertit fatum ; velut anxia mater
exigit obscaenam nati de corpore muscam,
cum dulci fruitur somno.  Mox excipit ictum
angustus rutilo praefulgens balteus auro,
qui juncto duplicem nexu thoraca premebat ;
tum varia intortum perrumpit cingula telum,
thoracisque moras mitramque ex aere rigentem
praeductum jaculis animae tutamen acutis
confodit, et summum describit vulnere corpus ;

Continuoque niger prorumpit vulnere sanguis.
Puniceo veluti detersum Maeonis olim
aut Cariatis ebur violat cum femina fuco,
cornipedem quod frenet equum, jacet illud in alto
compositum thalamo, multique in proelia ferre
optavere equites nequicquam, namque verendo
servatur regi, validum quod luce rubenti
ornet equum pariterque equiti sit gloria celso ;
sic tibi purpureo, Menelae, nitentia crura
et femora et pulchri rubuerunt sanguine tali.”
Illicet ipse virum timuit regnator Atrides,
ut nigrum aspexit fundentia membra cruorem ;
nec minus extimuit fatum Menelaus acerbum.
At vero exsertum tenui de vulnere nervum
ut vidit, geminasque hamatae cuspidis alas,
pectore collegit vires animumque recepit.
Hic Agamemno manum juvenis capit, atque ita fatur,
et graviter socios inter gemit ipse gementes :
"Care, tuo exitio percussi foedera, frater,
te solum objectans cunctis in proelia Teucris.
Sic te vulneribus petiere, ac jura fidemque
calcavere Phryges ! Sed enim jurata deorum
numina, et agnorum cruor, ac libamina sacri
fusa meri, dextraeque datae acceptaeque vicissim,
haudquaquam evadent fallacibus irrita Teucris.
Nam licet Argivum nondum Saturnius ausis
annuerit, certo faciet rata numine tandem
vota animi ; meritasque gravi pro crimine poenas
mox capita ipsa Phrygum miseris cum matribus atque
pignoribus solvent caris. Namque haec mihi certa
mente animoque sedent : aderit, nec fallimur, olim
certa dies, sacram quae diruat Ilion urbem
et Priamum et Priami populum regnumque superbi ;
Jupiter at celso residens in culmine Olympi
ipse manu horrendam Phrygibus cinctamque tenebris
Aegida concutiet flagranti fervidus ira
Dardaniam ob fraudem. Certo haec cuncta ordine fient.
At dolor urgebit saevus mea pectora, frater,
si moriere tuaeque implebis stamina vitae.
Namque ego ad optatum remeabo inglorius Argos,
et Danai patrias repetent mox remige sedes,
Argivamque Helenen Priamo Teucrisque relinquent
egregiam laudem ; Phrygiis tua putrida campis
mox opere infecto, Menelae, e pectore fundet :
o utinam in cunctis Agamemno ita vindicet iram,
ut modo, belligeros qui frustra huc duxit Achivos,
jamque domum patriamque tenet maria alta remensus,
et vacuis cessit ratibus, fratremque reliquit ! -
Haec ubi quis referet, tellus mihi lata dehiscat !"
Sic ait. Ast juvenis contra imperterritus infit :
"Parce metu, Argivum quatiat ne pectora terror,
namque volans nullo telum discrimine adactum est,
sed picturatus rapidum compescuit ictum
balteus, ac multo fabrum sudata labore

mitra rigens, duplicique exactus tegmine thorax.
Quem contra excipiens Agamemnon talibus orsus :
o sint vera utinam, frater, quae pectore fundis !
Verum abstergebit vulnus spargetque salubri
mox opifer succo nigros abigente dolores."
Dixit ; et extemplo divinum nomine signans
Talthybium alloquitur praeconem, et talia fatur :
"Huc, age, rumpe moras, arcesse Machaona magnum
Asclepi genitum medici de sanguine summi,
belligerum ut cernat jam jam Menelaon Achivum
ductorem, intorta fixit cui membra sagitta
Dardania arquitenens Lyciave e gente creatus ;
gloria magna suis, Danais dolor omnibus ingens."
Sic ait. Ast illi concussit pectora terror.
Protinus ad Danaas referunt vestigia turmas.
Hinc ubi jam gressus tulerant qua flavus in armis
constiterat juvenis, magno regnumque ducumque
concursu obsaeptus, et dis coelestibus aequus
conserta medius stabat claudente corona,
continuo ex habili retrahebat spicula balteo,
sollicitansque manu praeductae cuspidis alas
evellit geminas ; tum picti vincula baltei,
thoracemque simul, textumque exsolvit ahenae
squamigerum mitrae multo sudore coactum :
hinc ubi jam eliciti perspexit vulnera teli,
mitia deterso sparsit medicamina tabo,
ipsius ante patri dederat quae munera Chiron.
Belligerum interea dum sic Menelaon Achivi
circumstant, clypeis protectae corpora Teucrum
processere acies. Tum vero accingier armis
pro se quisque ardent Danai, pugnaeque parant se.
Non hic torpenti resolutum membra veterno,
non trepidum cernas, non fervida bella paventem
magnanimum Atriden, saevi sed munera Martis
ardentem, atque alacri properantem in proelia passu.
Linquit equos, linquit volucres lato aequore currus :
illicet hos crebras efflantes naribus auras
sedulus excepit custos fidusque minister
Piraidae Eurymedon Ptolemaei clara propago ;
hos illum servare jubet, si membra fatiget
improbus inde labor dum Graios instruit armis.
Ipse pedes campos atque agmina nota pererrat
magnanimus ductor. Tum siquos cernit inertes,
praecipitare moras verbis instigat amicis :
"Argivi celerate, et saevo incumbite Marti.
Jupiter hac stabit genitor Danaisque favebit :
et qui jura prius, qui testes foederis icti
contempsere deos, horum post fata cadaver
vulturibus dabitur rapidis ; nos dulcia Troum
pignora et uxores ratibus ducemus amatas,
Pergama cum nostris manibus prostrata jacebunt."
Quos vero invisi languere in munera Martis
aspicit, irata castigat voce paventes :
"Argivi bello praestantes, nulla pudoris

dedecoris vos signa tenent ? Quid statis inertes
hinnuleis similes ? Volucri postquam impete apertam
planitiem secuere leves, mox languida fessi
genua trahunt, nullasque cient sub pectore vires.
Haud secus attoniti statis, pugnamque timetis.
Quonam erit usque mora haec ? An dum Trojana juventus
ad Danaas raptim puppes litusque feratur ?
Dumque oculi cernant vestri, num dextera magni
vos tegat alta Jovis fatumque expellat acerbum ?"
Sic duce digna gerens acies lustrabat Atrides.
Admisso petit inde gradu densa agmina Cretum,
membra armis regem juxta Idomenea tegentum.
Viribus ille apro similis, tum pectore prudens,
agmina prima parat bello ; postrema coercet
Meriones. Verum hos ingens ubi vidit Atrides,
Idomenea alacri compellans voce profatur :
"Te certe ante omnes Danaos ego semper honore
afficio, sive in duri certamine Martis,
sive opere in reliquo, placidae seu munere mensae,
cum primi Argivum flagrantis pocula Bacchi
cratere immiscent : epotum namque Lyaeum
instaurant alii vicibus capita alta comantes
Argolici, et vacuis pateris nova vina refundunt ;
at plena assistunt Baccho tibi pocula semper,
ceu mihi, quo valeas, animus cum suaserit, ora
colluere ac frenare sitim. Sed nunc age, qualem
jactabas quondam, talem te in proelia praesta."
Quem contra Idomeneus Cretum dux protinus infit :
"Me comitem, Atride, cernes in bella paratum,
quod tibi jampridem nutu verbisque recepi.
Verum hortare alios crinito vertice Achivos
ut cito pugnemus, quando irrita foedera Troes
fecere, ast ipsis letum saevique dolores
impendent, qui jura prius laesere fidemque."
Sic ait. Inde animum laetus perrexit Atrides,
Ajacesque petit glomerata per agmina tendens.
Olli inducebant humeris fulgentibus arma ;
densa simul peditum nubes in bella subibat.
Qualem praerupto scopuli de culmine pastor
per mare tendentem zephyri spiramine nubem
prospicit ; illa procul piceae caliginis instar
apparet ponto gradiens, ac turbine saevo
praecipitat ; timet ille videns, pavidasque sub antrum
cogit oves, properatque gravem vitare procellam :
tales, juxta illos, juvenum quos Jupiter ingens
nutrierat tendunt glomeratae in bella phalanges,
nigrantes, densae clypeis et fortibus armis.
Hos quoque perspiciens, animo gavisus Atrides
talibus alloquitur verbisque volantibus infit :
"Ajaces, Graium ductores aere micantum,
haud opus hortatu vobis jussisque meis est ;
vos potius densas in bellum accendite turmas.
Jupiter o utinam, Pallasque et pulcher Apollo,
omnibus idem animus foret alto in pectore Graiis !

Ocius ut prono pulsaret culmine terram
urbs Priami, et nostris manibus prostrata jaceret."
Dixit ; deseruitque duces, reliquosque petivit.
Nestora tum Pylium facundi convenit oris,
aptantem pugnae socios dictisque monentem ;
quem circum ingentem Pelagonta et Alastora cernit,
Aemonaque Chromiumque Creonta Biantaque regem.
Ille in fronte equites currus rapidosque jugales,
extrema pedites acie densosque bonosque
ceu murum belli statuit ; timidosque coegit
protinus in medium, ne saevas aequore possint
detractare vices duroque abscedere marti.
Inde equiti edicit validos inhibere jugales,
nec reliquam turbare aciem ; tum ne sibi quisquam
fidat, equum regere et telo decernere doctus,
nec procul a sociis procurrere longius ausit ;
neve pedem timidi referant, aciemque refringant.
At quicumque alacres versans in pulvere bigas
hostilem ruet ad currum, tum lancea dextra
olli versetur facili ; namque hoc mage confert.
Sic validas urbes, sic moenia celsa priores
vincebant bello ; talem in certamine mentem,
talem animum quondam patres in pectore habebant.
His in bella senex jam longo callidus usu
hortatur socios. Quem postquam laetus Atrides
aspexit, volucri compellat voce repente :
"O utinam veluti crudo tibi pectore fervet
nunc ingens animus, sic te sequerentur et ipsa
genua, senex, firmasque darent pia numina vires
Martis in arma feri ! Sed te domat aegra senectus.
Atque utinam haec alium premeret, tibi laeta juventus
afforet !" Hunc dulci Nestor sic excipit ore :
"Atride, ipse etiam cuperem nunc viribus illis
esse tibi, quas ante meo rex Marte peremptus
sensit Ereuthalion. Sed non simul omnia magni
caelicolae prabent homini : si laeta virebant
membra annis quondam, nunc me mea deficit aetas.
Sic quoque nunc equites inter versabor ; et illos
consilio, qui solus honos solet esse senectae,
in martem subigam : juvenili lancea dextra
versetur, calido fervent quis sanguine membra."
Dixerat. Inde animum laetus perrexit Atrides ;
atque in procinctu Petei de stirpe Menestheum
offendit stantem, quem circum bellica pubes
fulgebat juvenum quos patria misit Athenae.
Hunc prope consilio stabat praesignis Ulysses,
atque Cephallenum praestantes robore turmae
stipabant regem. Belli nondum ille tumultus
senserat ; et nuper Teucri fortesque Pelasgi
adversum excierant saeva in certamina gressum :
illi autem campo vestigia fixa tenebant,
infestam donec Teucri et prima agmina Graium
incipiant conferre manum Martemque lacessant.
Quos ubi conspexit, dictis castigat amaris

rex hominum Atrides, ac verba volantia fundens :
"Nate, inquit, regis Petei quem Jupiter ipse
nutriit, et tu astu fallaci ornate dolisque,
quid trepidi statis ? Quaeve haec cunctatio, donec
bella serant alii ? Vos certo prima ciere
agmina, vos primo decuit confligere Marte,
quos ego sum primo mensae dignatus honore,
cum Danais epulae senibus mensaeque parantur.
Hic tostae veribus carnes, hic dulcia semper
pocula prompta manent valido spumantia Baccho.
Vos etiam ante decem spectabitis ire cohortum
praesidia in pugnas hostilibus obvia turmis ?"
Hunc torve aspiciens ita callidus infit Ulysses :
"Quod verbum, Atride, vallum tibi dentibus aptum
tam temere effugit, qui nos certamina dixti
negligere ? At cum jam Troum Danaumque catervae
incipient conferre manu fera munera Martis,
Telemachi patrem, modo sint tibi talia curae,
principibus cernes mixtum concurrere Teucris
intrepidum. Sed tu ventosa et inania jactas."
Ad quem subridens sic ore effatus Atrides,
ut juvenem saeva correptum novit ab ira,
et placidus dictis contraria dicta retexit :
"Insignis Laertiade percallide Ulysses,
non ego te nimium carpo, non jussibus hortor ;
mollia solerti semper tibi pectore surgunt
consilia, et quicquid sapio mecum sapis ipse.
Sed tamen haec alio placentur tempore, siquid
convitii dictum est, dique haec vana omnia reddant."
Dixit, deseruitque duces, reliquosque petivit.
Tydidaeque citus Diomedis in agmina tendit ;
magnanimumque heroa videt, juxtaque fugaces
cornipedes lentoque evinctos glutine currus :
cominus astabat Sthenelus Capaneia proles.
Hos vero aspiciens dictis instigat amaris
rex hominum Atrides, ac verba volantia fundit :
"Tydeos heu soboles volucrum domitoris equorum,
quid trepidas ? Quae degenerem tam sera moratur
segnities ? Non sic genitor trepidanter in hostem
tendebat Tydeus : primum illi invadere Martem
dulce fuit, sociosque in pugnam anteire sequentes.
Sic referunt qui pugnantem videre ; sed ipsi
haud equidem occurri, nec cernere contigit umquam ;
verum omnes superasse ferunt, dum bella gerebat.
At quondam nostras hospes sine Marte Mycenas,
delectus populi crebros in proelia cogens,
cum Polynice adiit Superis caelestibus aequo.
Olli etenim bellum Thebana in tecta parabant,
et secum educi juvenes in proelia lectos
auxilio orabant : votisque repente secundi
annuerant cives, atque agmina fida parabant ;
at pater infaustum demittens aethere signum
Jupiter avertit. Tum nostra ex urbe profecti,
postquam iniere viam et gressu petiere citato

Asopum viridem vincis et gramine molli,
nuntius a magnis iterum submissus Achivis
magnanimus Tydeus, densos Eteoclis in aula
accinctos dapibus Cadmeae stirpis alumnos
continuo offendit : nec, solus et advena, Tydeus
confertam extimuit turbam ; cunctosque vocabat
in certamen atrox, nulloque repente labore
victor erat : sic glauca oculos Tritonia favit !
At Cadmei equites, stimulis suadentibus irae,
dum redit, insidiis tacitoque invadere bello
accingunt sese : viridi tum robore fortes
quinquaginta legunt ; facinusque in triste trahebant
Aemonides Maeon superis caelestibus aequus,
natus et Autophoni bellis acer Lycophontes.
Hos etiam indecori mactavit funere Tydeus ;
damnavit leto cunctos, eque omnibus unum
viventem Aemoniden Thebana in tecta remisit,
ostentis divum parens, Aetolius heros.
Talis erat Tydeus ; cujus de sanguine natus
deterior bello est, sed fandi munere major."
Haec ubi dicta dedit, tenet ore silentia presso
Tydides, regis veritus dicta aspera magni.
Verum his extemplo Capaneius excipit heros :
"Vera quidem nosti ; quae nunc mentiris, Atride ?
Nos septem egregiam portis devicimus altam
Theben ; nec tantum meliora ad moenia vulgus
duximus, at Jovis auxilio ostentisque deorum
paruimus. Sontes effrena licentia patres
damnavit leto ; quos tu componere nobis
parce, paremque illis nostro ne confer honorem."
Ad quem sic torvo Diomedes lumine fatur :
"Comprime, amice, sonum, dictisque hoc tempore nostris
obsequere : in regem neque enim convicia fundo,
hortantem Danaos bellum miscere cruentum ;
hujus enim decus est, si Grai Teucria vincent
agmina et extremis superabunt Ilion armis ;
hunc manet et luctus, victis certamine Achivis.
Quare, age, curemus validas in proelia vires."
Dixit ; et e curru saltum dedit ocius arvis ;
aeneaque arma simul concussi in pectore regis
horrendum insonuere immani concita pulsu,
intrepidumque ingens cepisset protinus horror.
Ac veluti undisono cum litore concita saevi
aequoris unda frequens zephyro luctante movetur,
consurgit pelago primum, dehinc margine summo
fracta immane fremit, tum promontoria circum
tollitur incurva, et spumam salis exspuit albam ;
haud secus Argivum glomeratae in bella phalanges
agmine perpetuo tendebant. Ipse monebat
quisque suum doctor populum, compressaque vulgus
ora tenens ibat tacitum ; nec pectore tantae
plebis inesse sonum dicas, rata jussa verentis
ductorum : et quae quisque humeris varia induit arma
spargebant rutilum Phoebi sub sidere lumen.

At Teucri de more ovium quae divitis olim
Stant caula domini innumerae, distentaque lacte
ubera mulgentur, densantque in gutture vocem,
auditique acuunt matres balatibus agni ;
talis Dardanio sonus exsurgebat in hoste :
non idem cunctis clamor, non omnibus una
vox erat, at mixtae diverso ex agmine linguae.
Hos Mars armipotens, glauci dea luminis illos
in bellum exstimulat Pallas, Terrorque, Pavorque,
quamque homicida vocat Mavors comitemque sororemque
haud umquam fesso gradiens Contentio motu ;
parva quidem primo, mox se se attollit in auras,
ingrediturque solo, et celso caput aethere condit.
Haec tum dira sui cunctis incussit amorem
per medias invecta acies, augensque virorum
crudeles gemitus. Et jam pleno aequore in unum
convenere locum ; confertique agmine denso
praetexunt junctos clypeos, hastasque, virumque
robora qui duro clausi thorace micabant ;
texitur hinc atque hinc validis umbonibus agger.
Hic ingens oritur populo coeunte tumultus ;
hic una assurgit gemitus clamorque ruentum
vincentumque simul ; manabat sanguine tellus.
Utque ubi decursu rapido de montibus altis
miscent se socia torrentia flumina valle
et pluvios magnis conducunt fontibus imbres,
at sonitum exaudit procul alto e vertice pastor ;
sic mixti auditur populi clamorque pavorque.
Continuo Antilochus stantem primo agmine saeva
morte Thalysiaden Echepolum sternit in aequor ;
namque aes adversum cauda praesignis equina
illisit galeae, et perrupit vulnere frontem,
atque os interius trajecit ahenea cuspis :
olli oculis tenebrae exortae, moriensque cruentam
pulsat humum turri similis, campoque recumbit.
Quem subito, arreptum pedibus, praestans Elephenor
Chalcodontiades magnorum ductor Abantum
protrahit ex acie ; atque ardescens ocius illum
denudare armis, inopino concidit ictu.
Namque ubi magnanimus regem conspexit Agenor
tractantem exanimum corpus, qua exserta patebant
incurvi juxta clypeum latera, hausit ahena
cuspide conitens, ac leto membra resolvit.
Sic animum efflavit juvenis. Juxtaque ruentem
durum opus exoritur Troum Danaumque repente ;
utque lupi, irrumpunt adverso Marte vicissim,
virque virum impellit. Princeps Telamonius Ajax
Anthemione satum viridem Simoesion hasta
confodit : hunc Idae descendens vertice quondam
feta parens Phrygii genuit Simoentis ad undam,
atque ibi cum geminis servare parentibus hirtas
consuerat pecudes ; nomen Simoesius inde
deductum ; sed non caris genitoribus ille
qui se nutrierant mercedem solvit, et aevum

perbreve finivit transfossus cuspide longa
magnanimi Ajacis : qui primo ex agmine in arma
tendenti irrupit pectus, juxtaque papillam
trans abiit dextram atque averso apparuit armo
lancea ahena viri ; tunc ille extemplo cruentam
plausit humum moriens, jacuitque in pulvere campi.
Populus humenti ceu quondam educta palude,
consurgens laevi trunco indetonsaque caelo
brachia sustollens, acie quam nixus ahena
subsecuit faber ut summum cingentia currum
inflectat ligna, ast illa in margine ripae
sicca jacet fluvii ; talem Simoesion Ajax
straverat Anthemiden. Quem contra intorsit acutam
Priamides hastam, vario thorace refulgens,
Antiphus ; illa autem volitans deerravit ab illo,
et miserum adverso trajecit in inguine Leucum
fortem Ithaci comitem, dum caesum forte cadaver
protrahit ex acie ; cadit ille effusus in ipsum,
exanimumque manu corpus moriente remittit.
Hunc ubi conspexit, graviter succensus Ulysses
in primas fert sese acies, atque aere corusco
armatus caesum assistit, tum missile dextra
contorquet, cautoque simul se lumine lustrat.
Continuo vacuo cesserunt aequore Teucri ;
nec jaculi frustrata acies, Priamoque creatum
Democoonta nothum rapido transverberat ictu,
venit Abydaeo qui quondam e litore Trojam,
quae volucres educit equos in gramine molli.
Olli Ithacus, socii fato concussus acerbo,
aerata infensus cava tempora transilit hasta,
mox tenebrae clausere oculos, magnoque fragore
stravit humum moriens, sonitum super arma dedere.
Tum primi cedunt Teucrorum, et splendidus Hector ;
at Danai tollunt clamorem, et corpora caesa
extorquent hosti, penitusque intra agmina raptant.
Haec ubi Pergameo de culmine vidit Apollo,
indoluit, Teucrosque alto clamore vocavit :
"Surgite, belligeri Troes, ne cedite Grais ;
saxea non illis non ferrea corpora certe
adsunt quo valeant miserum scindentia corpus
tela pati : non hic crinitae natus Achilles
bellatur Thetidis ; namque is navalia circum,
laedentem moerore animum nunc digerit iram."
Haec ubi terribilis celsa deus urbe profatus,
continuo insignis supremi nata Tonantis
Tritogenea alacres animos attollit Achivum,
confertam ingrediens aciem qua cernit inertes.
Hic Amarynciden Diorea Parca ligavit ;
namque miser dextro violenti pondera saxi
excepit talo, quod Thracum ductor in illum
torserat Imbrasides Pirus quem miserat Aenos,
atque ambos penitus nervos perrupit et ossa
saxum immane viri : cadit ille extemplo supinus
pulvereum in campum, jactataque brachia caros

explicat ad socios, animamque expirat in auras.
Accurrit propere Pirus, qui fuderat arvis
pugnantem, mediumque impulsa cuspide ventrem
trajicit annitens : ast illi lubrica putrem
straverunt terram miserando viscera lapsu,
aeternaeque oculos tenebrae clausere natantes.
Mox ipsum Aetoli, ferventem caede, Thoantis
Lancea consequitur volitans, supraque papillam
figitur et sese media intra viscera condit :
inde Thoas juveni assistens hastamque receptat
pectore sanguineam, vaginaque eripit ensem,
et ventrem irrumpens animam saevo eripit hosti.
Haud tamen instratum campo dura exuit arma ;
namque illum Thraces cristis capita alta corusci
circumstant socii, et manibus tela aspera versant ;
et licet ingentem fortem atque in proelia clarum,
extrudunt : ille adverso mox pectore gressum
rettulit, et victum saevo se ex hoste recepit.
Sic in pulveribus fusi jacuere vicissim
Threicius ductor, quique acres egit Epeos ;
plurimaque hinc atque hinc sternuntur corpora morti.
Nemo quidem accedens, duri non munera Martis
laudasset, mediis si forte in millibus iret
integer et nullo violatus vulnere belli,
apprensumque manu ductaret bellica Pallas
depellens volucres tela ejectata per auras.
Illa namque die Troes Danaique frequentes
pulvereum prono sternebant pectore campum.

# LIBER IV

## AD LAURENTIUM MEDICEM ELEGIA

IL4_1

Tu quoque praelustres Medicum subiture penates
   compita qua latas explicuere vias,
i, liber, Ausoniae mondum vetus incola terrae ;
   i, pete sublato tecta superba gradu.
Illic invenies qui Lydi signa leonis
   qui sancta Etruscas pace tuetur opes :
illum tu celso praesignem vertice nosces ;
   ne dubita, certas porriget ille notas.
Et sive argutis sociantem carmina nervis
   offendes, clario carmina digna deo ;
sive fluentini turba stipante senatus
   versantem patriae pondera magna suae ;
siste, liber, moneo, procul inde, et comprime gressum,
   comprime frenatos ore tacente modos.

Inde ubi te capitis nutu dextraque vocarit,
haec illi nostro nomine dicta refer :
Maxime Laurenti, Syllanae gloria gentis,
Laurenti, Medicae nobilitatis honos,
ille tuus vates qui me per turbida duxit
aequora, qui longum carpere jussit iter ;
quo duce, Romuleas nuper delatus in oras,
effugi Argolicos per freta longa lares ;
quique meum semper memori solet ore referre
te placida fratrem substinuisse manu ;
ille tuas, inquam, vates me mittit in aedes
qui referam grandi tristia bella pede.
Et rogat excipias blando mitissime vultu,
ut liceat pleno fundere vela sinu.
Quod si Maeonia non junxit carmina plectro,
nec potuit tanta bella sonare tuba,
quid mirum ? Saevi dudum fera munera Martis
aggreditur, tenui non adeunda pede.
Ante cupidineas plectro leviore sagittas,
ante pharetrati luserat arma dei :
nunc opus est graviore lyra, dum nostra referre
bella cupit Latiis emodulanda sonis.
Si tamen ipse regas puppim, si carmina vatis
detineant aures qualiacumque tuas,
contrahet angusto validas in pectore vires,
et pede non humili Dardana bella canet.
Inde ubi Maeonium Latiis invexerit oris,
excipiet fortes area major equos,
attonitoque tuas cantabit pectine laudes ;
materiam sacri carminis ipse dabis.
Tum, Volaterra, suis iterum vexabere chartis,
nequicquam celsis edita culminibus :
Pergama, Tantalidae bello superata bilustri,
Aeternum Danais jam peperere decus ;
sed tibi, vix unum cum Delia junxerat orbem,
perfidiae ponas nunc Volaterra dedit.
Interea, magni divinum carmen Homeri
dum referet, timidae dirige vela ratis ;
annue victuris conanti intexere chartis
proelia Maeonia concelebrata lyra.
Sed jam longa mora est : dextro, liber, omine curre ;
exciderintque tibi ne mea jussa cave.
Namque ego, siquid habent vatum praesagia veri
quos avium cantus et vaga penna monet,
auguror excipiet blando Laurentius ore.
O faveat nostro Cynthius augurio !

P4_2

At postquam adversas acies fulgentibus armis
ornavere duces, sonitu et clangore feruntur

Dardanidae. Qualis nigro sonat aere quondam,
cum rapidos imbres gelidae cum frigora brumae
clangentes fugere grues, ad terga volantes
Oceani, letumque viris caedemque ferentes
Pygmaeis, quos mane novo in fera proelia poscunt.
At Danai, ardentes socias defendere vires,
Martis anhelabant furias, tacitique ruebant.
Ac veluti cogente noto quum vertice montis
assurgit caligo, ovium non aequa magistris
nocte tamen furi melior, deprendere tantum
quisque potest oculis quantum transmittere saxo ;
sic Danaum pedibus sinuosa volumina nigri
pulveris insurgunt subito, campumque secabant.
Obvia sed postquam rapido vestigia gressu
contulerant, primus se se effundebat in hostem
pulcher Alexander ; celeris qui tegmina pardi
induerat latis humeris, arcumque sonantem
fulmineumque ensem atque aeratae cuspidis hastas
concutiens geminas, proceres in bella ciebat
Argolicos secum duro concurrere Marte.
Quem postquam minor, in duri certamina Martis
ante acies longe gradientem, agnovit Atrides,
ut validus magno gaudet leo corpore praestans,
quem stimulat jejuna fames, si forte fugacem
conspexit capream aut surgentem in cornua cervum ;
quod si illum rabidique canes viridisque juventus
insequitur properans, captos vorat ore cruento ;
sic ille aspiciens hostem, mox pectore toto
gaudia concepit, currumque repente relinquens
desiliit, meritas ardens exposcere poenas.
Hunc ubi pugnantes inter bellare priores
novit Alexander, gelida formidine mentem
concussus, letum effugit sociosque petivit.
Sic ubi quis cernit nemoroso in monte draconem.
Avertit gressum, tremulos pavor occupat artus
attoniti, pallorque genis exsanguibus errat ;
sic sese ad populum cursu trepidante recepit
continuo Paris, et magnum vitavit Atridem.
Quem subito rapidis incessit vocibus Hector :
"Insignis forma, Paridis cognomine falso,
proditor, insano mulierum turpis amore,
lurida sensisses utinam tu fata priusquam
vidisses charam sobolem dulcesque hymenaeos !
Hoc vellem ; cunctosque magis, miserande, juvaret.
Quam sic ante oculos aliorum cedere pugna.
Ergo nunc merito populus ridebit Achivum,
insignem ante putans bello ; quod splendidus ornat
te decor, at nullo pugnandi robore fulges.
An talis valido stipatus milite classem
solvisti ex Apia, quum dulci conjuge fortem
privasti regem, crudelia damna parenti
molitus patriaeque tuae, sed gaudia saevis
hostibus atque ipsi, infelix, tibi dedecus ingens ?
An forti conferre manum vitabis Atridae,

illum ausus quondam grata viduare puella ?
Non tibi succurrent citharae, Venerisque beatae
munera, non forma aut crines, cum perlitus atro
pulvere succumbes. Nimium sed Dardana pubes
formidat ; quae te lapidum non tegmine duro
jamdudum operuit meritoque affecit honore."
Dixerat haec. Placidoque Paris sic excipit ore :
"Debita quod nobis, Hector, convicia fundis,
cor viget usque tibi, ferratae more securis
quae validum findit robur, doctaque sonantem
fabricat arte ratem, juvenem quoque viribus auget
gestantem ; sic indomito tu pectore fulges.
Non tamen objicias Veneris sacra munera nobis
purpureae : nulli magnorum spernere fas est
inclyta dona deum : neque enim caelestia quisquam
sponte capit, verum haec superis mittentibus adstant.
Quod si tantus amor duro me opponere bello,
nunc alii sedeant Teucri fortesque Pelasgi ;
at mecum ferro certet Menelaus, et arma
expediat : mox qui bello superabit, opesque
accipiat pulchramque Helenen. Vos jungite foedus,
vos pacem firmate animis : tum Pergama Teucros
detineant ; Graium populus velocibus aptum
Argos equis repetat, terramque invisat Achivam."
Haec ubi dicta dedit, gaudens fortissimus Hector
extemplo se se Teucris pugnantibus infert :
et mediam rapiens hastam, fulgentia sistit
agmina. Sed Danai nervo exturbante sagittas
torquebant, durisque urgebant Hectora saxis ;
verum ingens toto clamavit pectore Atrides :
"State, viri, nec tela manu diffundite, Grai,
ut quaecumque sedent animo jam proferat Hector."
Dixerat. Absistunt, tacitique silentia servant
Argolici. Bonus extemplo sic incipit Hector :
"Accipite, o Danai, fortesque in bella Pelasgi,
consilium Paridis qui solus proelia movit.
Dardanias jubet ipse acies atque agmina Graium
detrahere arma humeris duroque absistere Marte ;
et secum ferro certet Menelaus, et arma
expediat : tum qui bello superabit, opesque
accipiat pulchramque Helenen. Mox aurea cunctos
pax habeat, socient dextras et foedera jungant."
Talia Priamides ; tenuere silentia cuncti.
Quem sic arguto Menelaus suscipit ore :
"Me quoque nunc audite, viri ; nam pectora torquet
nostra dolor, cupio populum jam Marte cruento
amovisse omnem : vos, mille pericula passi
me propter Paridemque simul, finite labores ;
at nostrum pereat quem mors et tristia belli
fata manent, alii sedeant pugnamque relinquant.
Nunc agnum Phoebo niveum, sed velleris atri
ferte agnam Terrae ; ast alium nos inde feremus
caelicolum regi. Veniat qui foedera jungat
mox Priamus ; neque enim infidis jam credere natis

est animus, neu quis pacemque et foedera rumpat.
Usque leves pendent juvenili in pectore sensus ;
acta senes cernunt, et quae ventura trahantur."
Sic ait. Ardentes Teucri fortesque Pelasgi
laetantur, durosque putant finisse labores.
Jam celeres cohibentur equi, jam fortibus armis
expediunt humeros acies terraeque reclinant ;
et prope contractor discreti limite sistunt.
At geminos Hector sacram dimittit in urbem
praecones, referant qui puri velleris agnos,
et Priamum accersant. Graium quoque ductor Atrides
Talthybium ad naves mittit, qui perferat agnum :
ille volat celeri transmittens aequora passu.
Aurea dehinc Helenae se nuntia contulit Iris,
Laodices vultum simulans ; quae, maxima forma
natarum Priami, Trojano Antenore natum
connubio fovit gaudens Helicaona regem.
Illa quidem duplicem percurrens pectine telam,
clausa domo vacua, saevi longo ordine belli
egregium variabat opus, certamina pingens
quae nuper vacuo gesserunt aequore campi
se propter Graiumque acies et Dardana pubes.
Ad quam sic roseo Thaumantias ore locuta est :
"Eia age, nympha, veni ; populi fulgentia cernes
agmina belligeri, quis dudum cernere ferro
mos fuerat, duri linquentes munera Martis
defigunt tellure hastas et scuta reclinant.
Sed Paris et validus campo Menelaus aperto
concurrent ; mox quem victoria certa sequetur,
continuo gaudebit ovans te conjuge felix."
Sic fatur ; dulcemque animo succendit amorem
conjugis antiqui, patriae simul atque parentum.
Illa domum, niveo defendens corpus amictu,
deserit, et lacrimis oculos irrorat obortis ;
quam geminae incessu famulae comitante sequuntur,
insignis vultu Clymene, Pyttheis et Aethre.
Protinus ad Scaeas venit maestissima portas.
Hic juxta Priamumque et Panthoon atque Thymoetem,
Lampumque et Clytium, Martisque Hicetaona prolem,
Ucalegon atque Antenor consultus uterque,
Dardanii sedere senes ; quis longa senectus
ardorem excussit belli, sed pectore dulces
fundebant voces. Patula sic arbore quandam
perrumpunt silvas cantu florente cicadae.
Tales Dardaniae servabant culmina portae.
At simul incessu tacitum subducere gressum
in turrim videre Helenen, sic quisque profatur :
"Non pudet Argivum populos atque agmina Troum
ferre diu tantos hac pro muliere dolores :
illa quidem forma divarum vultibus aequa est ;
sed, talis quamvis, redeat patriamque revisat,
ne nobis triste exitium natisque relinquat."
Talia dicta dabant. Priamus tum voce puellam
affatus : "Venias, animo gratissima, dixit,

nata, meo ; veteremque, oculo properante, maritum
cognatosque simul dulcesque videbis amicos.
Non mihi tu belli causa es, sed numina divum.
Quin, age, pande viri nomen qui pectore lato
prominet Argivis : praestantes vertice summo
nempe alios cerno ; sed cui sit corpore tanta
majestas, numquam licuit deprendere visu :
regia forma viri cunctos excedit Achivos."
Dixerat. Illa seni placido sic ingerit ore :
"Fas mihi, care socer, tua semper jussa vereri.
Atque utinam miserae lux illa extrema fuisset,
cum thalamum fratres natam sociasque relinquens
huc adii comitata Parim ! Sed numina postquam
sic voluere deum, gemitu mea pectora vexo.
Nunc adeo quae scire cupis, rex maxime, promam :
insignem bello Atriden Agamemnona cernis,
justitiaque bonum gentes frenare superbas ;
qui mihi jam levir fuerat, dum fata sinebant."
Haec ubi dicta, senex illum admiratur, et infit :
"O felix nimium Atride, nimiumque beate,
cum tot Graiorum populi tua jussa capessant !
Vitiferas quondam Phrygiae delatus ad oras
illius innumeros vidi telluris alumnos,
Mygdonis atque Otrei turmas, quo tempore castra
Sangarii circum ripas fixere sonantis.
Namque ego tunc bello auxilium praebere cruento
lectus, Amazoniae simul advenere phalanges."
Sed Danaum plures campo funduntur aperto.
Inde senex, acie solertem ut vidit Ulyssem :
"Nunc etiam mihi, nata, refer quis proximus, inquit,
ille Mycenaei minor est qui vertice regis,
sed validis praestans humeris et pectore lato.
Gramineum laedunt fulgentia tegmina campum,
aeratas obit ipse acies Danaosque pererrat :
sic aries, nitido spectandus vellere, quondam
itque reditque vias, niveum cum lustrat ovile."
Dixerat. Alternaque Helene sic voce secuta est :
"Hic vafer est magni natus Laertis Ulysses,
aspera quem duris Ithace nutrivit in arvis,
omnia consilia et fraudes perquirere doctus."
Tum sic Antenor prudenti est ore locutus :
"Vera refers, mulier, nec te mendacia tangunt ;
nam quando Iliacas orator venit in arces
te repetens, fortisque simul Menelaus, utrumque
hospitio excepi ; juvenumque expendere summum
contigit ingenium atque arcanos pectoris astus.
Hic cum se arrecti populo ingessere coacto,
praestabat latis humeris et vertice Atrides ;
mox Ithacus major visus, dum sedit uterque.
Sed cum progressi in medium consulta referrent,
orabat paucis raptim Pelopeius heros
dulcisonas fundens voces : non futilis ille.
Non verbosus erat. Verum annis major Ulysses
dejecto surgens figebat lumine terram ;

immotumque tenens sceptrum, non ulla diserti
signa dabat ; stultum certe iratumve putares :
at simul ingentem fundebat pectore vocem
et nivis hibernae certantia verba procellis,
non alius magno se se conferret Ulyssi,
namque oris formam eloquio vincebat honestam."
Dixerat. Inde senex Ajacem lumine cernens ;
"Quisnam, inquit, juvenis porrecto corpore surgens
ille est, qui toto despectat vertice Graios ?"
Sic Priamus. Contraque Helene sic protinus addit :
"Hic murus Danaum populo est, fortissimus Ajax.
Haud procul hinc, Cretum ducibus circumdatus, ingens
constitit Idomeneus ; patriae quem litora terrae
linquentem saepe, hospitio tectisque recepit
insignis bello majoris frater Atridae.
Cunctorum mihi nunc procerum datur ora tueri
Argivum, et certo signarem nomine cunctos :
sed geminos nequeo deprendere lumine fratres,
quos mecum partu genitrix pulcherrima fudit,
cestibus egregium Pollucem et Castora frenis ;
aut petiere quidem Rhoeteum puppibus aequor,
sed pudet aeratis se nunc inferre catervis,
cum metuant nostram lacerantia jurgia famam."
Dixerat. Ast illos genitali viscere tellus
ceperat in patriis durae Lacedaemonis oris.
Et jam Dardaniam praecones sacra per urbem
gestabant, ovium fetus et munera Bacchi
abdita villoso lascivae tegmine caprae.
Fulgentem praeco Idaeus cratera tenebat,
Aureaque ardenti radiantia pocula testa.
Tum sic hortatur regem, atque ita protinus infit :
"Surge age, te Danaum proceres atque agmina Troum,
Laomedontiade, accersunt qui foedera jungas.
Nam Paris et validus campo Menelaus aperto
concurrent ; mox qui bello superabit, opesque
accipiet pulchramque Helenen : nos foedera cuncti
jungemus pacemque animi : tum Pergama Teucros
servabunt, Graium populus velocibus aptum
Argos equis repetet terramque inviset Achivam."
Ut fatus, timuit Priamus, sociisque vocatis
jungere equos mandat ; cuncti sua jussa facessunt.
Tum prior insurgens curru se subjicit alto
ipse, manuque simul faciles detorquet habenas :
intulit hinc rapidis Antenor membra quadrigis ;
mox ambo Scaeae tendunt ad limina portae,
effusique leves adigunt in plana jugales.
At simul admisso petierunt agmina cursu,
demittunt arvis gressum, mediisque seniles
immiscent artus populis. Tum magnus Atrides,
et dux Nerithiae gentis consurgit Ulysses.
Inde parat foedus praeconum sedula turba,
atque onerat miti crateras munere Bacchi,
et regum digitos infusa perluit unda.
Tum bonus Atrides sublatum tegmine cultrum

diripit (hunc nitidi vaginae aptaverat ensis)
agnorumque comas niveo de vertice tondet,
quas ducibus certo dispensant ordine cunctis
praecones ; fusamque Atrides pectore vocem,
et geminas cum voce manus, ad sidera tendit :
"Jupiter omnipotens, Idaeo in vertice regnans,
et tu, Sol, qui cuncta vides quique omnia sentis,
fluminaque, et tellus, angustaque Tartara poenis,
qui regitis sontesque animas et inania regna,
este mihi testes, et firmum jungite foedus.
Dardanio si fors Paridi victoria cedet,
Tyndarida accipiat gaudens, opibusque fruatur ;
at nos fluctivagis relegemus caerula proris :
sin nostrum adierit fratris victoria Martem,
reddat opes nobis atque Helenen Trojana juventus,
et Danaum populo meriti referantur honores
postera venturi quos noscat temporis aetas.
At mihi si Priamus, Priami si regia proles,
cum Paris occiderit ferro, non omnia servent,
instaurabo acies et tristia proelia Teucris,
Pergama dum nostro procumbant ardua bello."
Sic fatus, cultro stomachum fulgente reclusit
agnorum, et tremulo quatientes viscera motu
deposuit terrae, nigro manante cruore.
Tum pateras complent hausto cratere micantes,
et terram Baccho libant, superosque precantur.
Atque aliquis caelum suffigens lumine fatur :
"Jupiter omnipotens ac cetera numina divum,
qui primus pacem hanc nobis et foedera rumpet,
sic illi et natis cerebrum fundatur ut ista
vina fluunt terrae, Veneris quoque gaudia jungant
externis carae uxores et jura resolvant."
His superum genitor surdas obstruxerat aures.
Tum Priamus tales effudit pectore voces :
"Accipite haec animis, Teucri fortesque Pelasgi ;
ipse quidem verso repetam nunc Pergama cursu,
quod nequeam, pugnas nato miscente, paternos
conscelerare oculos et tristia bella tueri.
Nam Superi norunt omnes Superumque creator,
sanguineo moribundus humum quis vertice tundet."
Sic ait ; et nitidos in currum sustulit agnos,
ascenditque simul, lentasque retorsit habenas :
intulit hinc nitidis Antenor membra quadrigis :
et tandem Iliacas versi referuntur ad arces.
Hic Hector Priami soboles et dius Ulysses
planitiem ingentem pugnae metantur in usum ;
inde vagas quatiunt aerata casside sortes,
qui prior intorto succendat proelia cornu.
At populi orabant tensis ad sidera palmis,
atque aliquis geminae sic fatus in agmine turbae est :
"Rex superum, idaeis praesignis gloria montis,
qui prior hoc genti bellum commovit utrique,
da, precor, alme Tonans, inimica occumbere dextra ;
nos vero aeterno devinctos foedere serva."

Sic ait. Inde oculos avertens maximus Hector
concusso Paridis suffudit tegmine sortem.
Extemplo sedere alii ; juxtaque fugaces
quadrijuges aderant, versisque coloribus arma.
Inde Paris nitido squalentia tegmina ferro
circumdat latis humeris ; ocreisque nitentes
laevibus includit suras, ubi plurima curvo
argento irradians juncturas fibula mordet ;
inde Lycaonium fratris spectandus in armis
thoraca induitur ; collo suspendit acutum
mox ensem, argenti claro fulgore micantem ;
tum laevam ingenti clypeo tegit ; ardua fulvam
cassida caesariem cauda praesignis equina
integit extemplo ; et dextrae gravis incubat hasta.
Nec secus egregiis stabat Menelaus in armis.
His actis, geminae surgunt in limite gentis,
quisque truces oculos hostili in corpore fixus.
Protinus adstantum subitus pavor occupat artus.
Illi demenso stant cominus aequore campi ;
crispantesque graves hastas ingentibus iras
accendunt stimulis. Tum primus Troius heros
fulmineam validis emittit viribus hastam ;
illa volans clypei fulgenti umbone corusci
incidit, obtusaque ad terram cuspide fugit.
Hic ferro Atrides praefixum robur acuto
jamdudum in Paridem librans, ita ad aethera fatur :
"Omnipotens genitor, da nostro occumbere ferro
Dardanium Paridem, meritasque exsolvere poenas,
ut metuant omnes venturum semper in aevum
hospitium violare sacrum et confundere pacem."
Sic fatus, magnum contorquet robur in hostem,
et clypeum ingentem valido transverberat ictu,
thoracisque moras varii tunicamque recludit
extemplo, ad mediam teritur qua sutilis alvum.
Ille nigram abducto vitavit corpore mortem.
Tum bonus Atrides nitidum consurgit in ensem
arduus ; et summas galeae dum percutit oras,
dissiluit multo perfractus fragmine mucro.
Ille gemens caeloque advertens lumina fatur :
"Rex divum omnipotens, crudeli pectore nullus
est tibi par Superum : ferro punire cruento
sperabam demens hostem ; nunc debilis ictum
destituit mucro, nec summum vulnere corpus
lancea perstrinxit nostro contorta lacerto."
Sic fatus, nitido surgentem vertice conum
arripiens, hostem Danaum torquebat in agmen :
at miseri fauces urgebat sutile vinclum
fulgentis galeae molli sub gutture fixum.
Traxissetque illum vacuo de limite campi
Inachius ductor, rapido ni concita cursu
fortia rupisset laxatis vincula nodis
alma Venus : galeam dextra protraxit inanem
Tantalides, Graiumque illam provolvit in agmen ;
sedula quam subito sociorum turba prehendit.

Dumque redit nigrum cupiens haurire cruorem
robore ferrato, juvenem Cytherea paventem
abstulit, ut facile est magnis posse omnia divis,
et multo nebulae circum dea fudit amictu.
Mox illum thuris placidum exhalante vaporem
constituit thalamo ; Scaeaeque ad limina portae
intendens, Helenen adiit, quam plurima circum
turba nurum steterat. Nitida tum veste trahebat,
ambrosiaque manu deducens horrida vultum
lanificae simulavit anus, quae plurima quondam
cara Therapneae mollibat pensa maritae,
dum Lacedaemonios habitaverat illa penates.
Hanc Venus effingens, tremulo sic edidit ore :
"Ad Paridem converte gradum, Ledaea, vocantem,
appulit in thalamos qui jam testudine comptos ;
non illum saevi nigro de pulvere belli
sed levibus credas nuper cessisse choreis,
aut illas petere et molli se accingere ludo."
Sic ait, et stimulos acres sub pectore vertit.
Quae postquam divae cervicem lumine pulchram
fulgentesque oculos et candida pectora novit,
obstupuit, dulcique graves dedit ore querelas :
"Quid me iterum, dixit, miseram dea fallere tentas ?
Anne aliquam rursus Phrygiae extorquebis in urbem
Maeoniosve lares, siquis tibi forsan et illic
gratus adest hominum ? Quae nunc fallacia nectis
verba, simul campi Menelaus in aequore vicit,
et trahere invisam Graias me quaerit in urbes ?
Quin, age, jam pridem sequere, et fulgentia caeli
sidera flammigerumque polum, Cytherea, relinque,
atque illum observa, dum longo fessa labore
fies servati conjunx aut serva mariti.
Ipsa quidem, turpe est etenim, sociare recuso
jam Paridi thalamum, neu verbis improba carpat
Iliadum me turba nurum cumuletque dolores."
Tum Venus iratam sic protulit aurea vocem :
"Irritare meam, infelix, jam desine mentem,
neu cogar longos odio subvertere amores ;
namque ego, si pereas, inimica in bella Pelasgos
Dardaniosque adigam, et te lurida fata sequentur."
Haec ubi dicta dedit, passu Ledaea timenti
prosequitur divam, nullo cernente, beatam,
aurea defendens nitido velamine membra.
Atque ubi surgentes Paridis tetigere penates,
ad solitos famulae se se vertere labores ;
illa viri thalamum petiit testudine tutum,
quam placidis ridens stratis Erycina locavit.
Inde sedens, oculisque Parim defixa modestis :
"Venisti, Argolici pugna devicte mariti,
atque utinam hostili cecidisses vulnere, dixit,
olim qui valido Menelaum vincere ferro
jactabas demens. Age, nunc, in proelia posce
magnanimum Atriden, iterumque lacessere pugna
incipe belligerum juvenem ; temeraria rursus,

admoneo, ne tu secum certamina jungas,
ni cupis exciso pertundere vertice campum."
Sic ait. Alternoque Paris sic excipit ore :
"Desine jam gravibus convicia fundere dictis,
o dulcis conjunx. Nunc me superavit Atrides
Palladis auxilio ; posthac crudelia nostro
vulnera Marte feret : sunt et mea numina contra
multa mihi. Sed jam Veneris sociemus amico
gaudia laeta toro : numquam mea pectora tanto
vulnere fixit Amor, vel cum fluitantia remis
aequora dispellens, placida Lacedaemone raptam
te duxi, virgo, ad Cranaen ; haec insula dulci
connubio primum geminos sociavit amantes ;
ut mea nunc lentis uruntur pectora flammis."
Sic fatus, prior in lectum se subjicit altum,
quem tenera assequitur conjunx : sic ambo nitenti
accubuere toro, molli languore soluti.
At geminas ardens acies Menelaus obibat,
more ferae absentem nequicquam in pulvere campi
vestigans Paridem : non illum Trojae pubes,
non socii graio potuere ostendere regi ;
nec si conspiciant, Paridis reverentia Teucros
detineat, sed quisque duci ostendisset Achivo.
Namque erat ille suis pallentis imagine mortis
invisus pariter cunctis. Tum major Atrides :
"Accipite haec, inquit, Troesque et Dardana pubes,
et Troum socii. Campum Menelaus apertum
solus habet, sequiturque suum victoria Martem :
ereptas nunc victor opes Helenenque reposcit ;
reddite, et Argolicis meriti referantur honores,
postera venturi quos norit temporis aetas."
Talibus Atrides. Danai simul ore fremebant.